



I.G.

Ex Libris jacobi Garrigou  
Laurensiensis Discipulis —  
apparientis anno domini 1762

---





Pf XVII-366

JOANNIS MAURY  
THEOLOGI  
SPECVLVM PATIENTIÆ,  
SIVE  
METRICA PARAPHRASIS  
IN LIBRUM JOB,

*Eique intextus Commentarius ,  
cūm Moralis , tum literalis ,  
ex mente Sanctorum Patrum.*

Ex Libris

Garrigou  
Dieeberis  
anno domini



Jobi

Tarafonensis  
apparicantis

1762

TOLOSAE,  
Apud JOANNEM PEKIUM, Comitorum  
Fuxensium Typographum, juxta Collegium  
P.P. Societatis JESU. 1678.



YAHVANAH  
SCAVANAH  
METRICA PARAPHRASIS  
IN LIBRUM TOR



TOLO  
SANTO  
POMPEI  
ACADEMIA  
LIBRARIA  
1880.





ILLUSTRISSIMO  
ET REVERENDISSIMO  
ECCLESIAE PRINCIPI  
DOMINO DOM.  
IOS. DE MONTPEZAT  
DE CARBON  
ARCHEPISCOPO TOLOSANO.



ILLUSTRISSIME ECCLESIAE PRINCEPS,

Ecce sacre meæ Musæ partum novissimum. Sacram dico, sacris dudum lucubrationibus mancipatam, ac, eo nomine, sacri etiam Cleri Poëtica merentem stipendia. Nec certè otiosa in hoc genere militiâ. Siquidem, præter levioris, ut ita dicam, armaturæ varia opuscula, Salomonis Ecclesiasten

Proverbia, & Sapientiam non solum Paraphrastico expressi carmine, forsan haud prorsus ineleganti & inficeto, sed eodem contexta Elucidationes inserui non paenitendas, ut vix alias possit desiderari commentarius. Nec est, cur haec tibi importuniū occinam, Archipræsul Illustrissime, cum ea & ipse probaveris, & ( quæ tua est benignitas ) laude etiam sis prosecutus. Demum ad Iobum similem curam intendi; nec me absterruit difficultas, quæ in hoc libro habita semper est maxima. Multum hic veræ laudis retulit ex Gallica sua Paraphrasi R. P. Senaltus, celeberrimus Congregationis Oratorij Generalis. Sed nec ille nostra præripuit, nec nobis spes est, imò nec animus aliorum messis in eodem campo præripienda. Supererit omnibus seges amplissima, ut & in aliis libris divinitus inspiratis, quorum quilibet innumeris est prægnans sensibus. Verum habet iste supra Salomonicos etiam ipsos, Psalterium item, & Prophetas, quod præter Poëticos tropos, quibus copiosius quam alii omnes efflorescit, in Physis etiam, & Ethicis, nec non in Theologicis longè latius spatiatur. Quare tale ac tantum afferens munus, meā ( si fas dici) qualicumque ornatum industria, saltem amanitatem donatum aliquā, ut possit

meo labore suum Lector redimere , audeo Archipræsul Illustrissime , ad te confidenter accedere , sic sperans benignè me excipiendum , ut supervacaneum existimem tuam gratiam solitis per Nuncupatorias Epistolas adulatio-  
nibus aucupari , cùm nec tu talem tibi fu-  
cum fieri patiaris , nec veras etiam tuas lau-  
des mea possit æquare in dicendo tenuitas .  
Cui enim non constat te ad Episcopatum do-  
tes illas omnes attulisse , quas in Episcopo D.  
Paulus desiderat ? Habebas nimirum , preter  
proprium apparatus , & nativam simûlque  
acquisitam virtutum omnium ad id condu-  
centium supellectilem , domesticum etiam .  
Exemplar Illustrissimi & Reverendissimi  
fratris tui , natu majoris , Archiepiscopi  
Senonensis , cuius summis meritis vix potuit  
Rex Christianissimus , hominum perspicaci-  
simus explorator , parem in Ecclesiâ Gallica-  
nâ Dignitatem reperire ; hâc ipsa , quam  
illi postremum contulit , vix ulli in Galliis  
secundâ , majorem etiam illum existimans .

Quod ad te attinet , Archipræsul Illustris-  
sime , certè mirari satis non potui , ex quo in  
hac nobilissima urbe sedem fixi , quæ hic om-  
nium ordinum , quæ sit populi pietas univer-  
si , quæ , in omnibus quæ sunt Religionis ,  
frequentia , qui consensus , quis ad ea concur-

sus unanimis, ut jam non Palladia, sed peculiari sibi nomine Christiana, imò & Christianissima dici Tolosa mereatur. Ingerunt autem hæc evidentissimè spectantium animis Apostolicum tuum regimen, & sollicitam tuam simulque prudentissimam vigilantiam; ac in te verissimum comprobatur vulgatum illud, Pastorem esse gregis formam, & Episcopum normam Civitatis. Nec possit sine crimine præteriri quod in te stupemus prope singulare, talem tua arte & industria, tua intercedere Dignitati cum sæculari potestate concordiam, ut in urbe toto regno secundâ, apud secundum item Senatum, eumdemque amplissimum & summâ pollentem autoritate, jus Ecclesiasticum, inter tot occurrere solita offendicula, illesum constantissimè tuearis, nemine vel moroso obliuante, planaque inde & expedita sacre tue administrationi subsidant omnia: Tanta est tua ad conciliandos quoscumque animos juncta cum comitate solertia, tanta in suscipiendis negotiis æquitas, tanta etiam in persequendis. Nec tantum elucet illa in iis quæ ad te pertinent, sed hinc etiam fit, ut in gravissimis controversiis ac simultatibus, cùm publicis, tum privatis, res ad te rationesque suas certatim plerique deferant, tuo arbitratu decernendas,

nec irrito unquam successu , at resarcita semper inter contendentes charitate. Cum autem humana omnis facultas suis terminis sit circumscripta , nec possit quis in celsa Dignitate constitutus , omnia per se exequi & procura-re; Cumque nec velit omnipotens ipse Deus , qui Mundum solus creavit , eundem solus regere & moderari , sed causas adhibeat se-undas , & motrices Caelorum intelligentias ; certe non parum etiam confert ad tuam laudem sapientissimus ( ut & hic mihi comper-tum est ) eorum delectus , quos placet , ad an- marum salutem universo tuo labori singula-ri adniti operâ , saumque conferre sym- bolum ; ut scilicet peritissimo Navarcho pe- riti adsint & Proretæ , simûlque fideliter ob- sequantur reliqui inferioris ordinis admini- stri. Neque enim , ut ait D. Bernardus sa- num se dicat Episcopus dolentem latera , do- lentem aut pedes ; hoc est ne se dixerit bonum , malis innitentem , ac sibi debentem imputa- re quidquid ab illis patiatur , qui sine ipso ni- hil possunt.

Cæterum celebrandum aliis relinquo nata- lium tuorum splendorem. Mihi enim est per- suasum eum qui Episcopum à nobilitate lan- daverit , Dei quodammodo adversari consilio , quô non divites , non nobiles , sed pescatores

& publicanos ad Apostolatum elegit. Quamvis non diffitear virtutem à nobilitate, etiam in Episcopo, si non incrementum, decus saltem & fulgorem accipere; qualem & collum monilibus exornatum,

fusos cervix cum lactea crines  
Accipit, & molli subnectit circulus auro.  
Talem & ego, Archipræsul Illustrissime,  
possem tuam nobilitatem prædicare, tuumque  
illud

Horat. Ductum vetusto ceu genus ab Lamo,  
lib. 3.  
Od. 17. ni viderer aliena in te non tua laudare, dum  
unus ipse tot tantaque laudanda sufficis. Sed  
timide in hac materiae immensitate vel alego,

ARCHIPRÆSUL ILLUSTRISSIME,

Excelsæ tuæ virtuti non minus  
quam Dignitati,

Devotissimus  
JOANNES MAURY.



## P R A E F A T I O.

**Q**UÆR I præcipuè solet circa hunc librum , quæ fuerit Jobi patria, quod genus , qui parentes , ortus, dignitas , calamitatis tempus, & ejusdem duratio , qui demum Libri author , quæque ejus authoritas . His de singulis pauca præfabor, ac primò .

Quod ad patriam, unanimis videtur omnium esse conspiratio in asserendo fuisse Terram Hus , quæ ex Adrichomio erat cis Jordanem , in eâ sorte quæ dimidiæ tribui Manassis attributa est ; quamvis sint qui dicant habitasse quidem in Terra Ausitide, sed natum esse in Civitate Bosra , non Moabiticâ , sed Idumeæ , vel Trachonitidis regionis. Idque colligunt ex Geneseos cap. 36. v. 33. ubi legitur quòd pro Bela regnauit Jobab , filius Zaræ de Bosra. Sed parum interest de loco nativitatis , cum constet de Domicilii Regnique sede , & hujus stupendi Certaminis Theatro. De Jobi genere variant item sententiæ , sed probatissima est

existimantium fuisse Job de filiis Esaü, & ab illo Quartum. Suntque in illa sententia Athanasius, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, Gregorius & alii quamplurimi, ita ut pigeat dissentaneam aliquam afferre, nedum discutere aut refellere.

Quod ad dignitatem, Septuaginta Jobum disertè Regem vocant, ac probatur præterea ex ipsius Jobi non uno testimonio. Ut cap. 3. vers. 13. cum dicit *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem, cum Regibus & Consulibus Terræ*. Ubi Job significat se pari fuisse conditione cum Regibus. Idem Job cap. 19. vers. 9. sic loquitur. *Spoliavit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo*. Idem cap. 29. vers. 7. *Quando procedebam ad portam civitatis, & in platea parabant cathedram mihi, videbant me juvenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant, Principes cessabant loqui, & digitum supponebant ori suo, vocem suam exhibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat*. Iti Job commemorat astantes sibi Principes, duces, & senes, quod non potest nisi de Rege intelligi. Præterco quæ aliunde possunt argumenta peti plurima, eaque validissima.

Venio ad tempus, quo vixit Job, & de quo variæ adhuc sunt sententiae. Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus Theodoreetus, Origenes, Eusebius, & alii censem vixisse illum ante legem latam. Severus Sulpitius censem vixisse quo tempore Moyses diversabatur apud Jethro sacerorum suum in Terra Madian: Adrichomius, in Chronologìa anno 2236. censem eo vixisse tempore quo Jacob mortuus est in Ægypto; Genebrardus, quô Jacob in eam cum sua familia descendit, ac fuisse Jobum tunc temporis septuagenarium, & septem annos egisse in temptatione. In quo septennio cum plurimis è veteribus illi convenit.

De libri authore variae item sunt opiniones. Existimat D. Gregorius in præfatione, Suidas in verbo Job, & alii permulti, librum à Job fuisse scriptum. Sunt qui ab amicis Job, nec mihi videtur operæ pretium eorum afferre leviusculas probationes. Tertia opinio est Gregorii Nazianzeni, Nicetæ, Olympiodori, & Polychronii, qui existimant authorem fuisse Salomonem: & Comitolus hanc censem confirmari posse sententiam ex Athanasio, qui in Synopsi hunc librum subnectit Canticum Canticorum, quod etiam faciunt Biblia quædam Vatica-

na vetus simis literis conscripta , item Concilium Laodicenum. Sed communior sententia hunc librum Moysi tribuit. Ubi autem , & quando hunc librum scripsit non convenit inter hujus sententiæ assertores. Alii censem in terra Madian , dum Israélitæ servitute Ægyptiaca premebantur , Aij in Deserto , ut peregrinantes eosdem inter tot ærumnas solaretur.

De libri authoritate pauci dubitant, inter quos Thalmudistæ & heretici aliqui, qui nō solum existimant hanc historiam esse meram Parabolam , sed etiam Theatralem , si etiamque ut in scenam daretur, atque in hanc sententiam his adducuntur rationibus.

1. Quod Jobi & amicorum ejus , simulque filiarum nomina sint prorsus scenica , & rei quæ agitur , congruenter excogitata. Nam Job interpretatur dolens , Hus consilium, similiter reliqua suas habent arcanas significaciones. 2. Quod liber carmine sit scriptus , ut solent Tragoediae & alia Dramatica opera. 3. Quod Josephus nusquam Jobi historiæ meminerit , licet tam exactè Judaicas antiquitates sit persecutus. 4. Quod ipse narrandi stylus ad parabolam faciat , nec enim dicitur fuit quidam vir , sed erat quidam vir. 5. Quod aliqui , etiam Catholici,

licitè existimabant quasdam hujus libri par-  
tes non posse historiè accipi, sed tantum para-  
bolicè, quale est illud Angelorum Conciliū,  
Præsidente Deo, Colloquum Satanæ, inter-  
rogationes & responsiones. 6. Quod quædam  
in hoc libro videntur impossibilia, quale est,  
quòd Jobo tres illi amici assederint per se-  
ptem dies & septem noctes, sine cibo, &  
potu; quòd locupletissimus inter Orienta-  
les repente nudus fuderit in sterquilino;  
quòd illius uxor in suo regno, suâque urbe,  
nullo suo merito, nullaque culpâ, ac com-  
mune habens nihil cum Jobi tentatione,  
ancillæ munus obierit, & abjectissimè men-  
dicarit, ut Septuaginta disertis tradunt ver-  
bis. 7. Quod nulla sanitatis recuperatæ,  
neque restitutarum facultatum verosimilis  
ratio, via, modusque demonstrantur. Obii-  
ciuntur & alia hujusmodi, quæ tamen om-  
nia fusè & solidè refellit Pineda in sua præ-  
fatione. Ne autem hæc mea in integrum vo-  
lumen excrescat, ejus recensendis solutio-  
nibus supersedebo, satisque lectori credam  
factum, hâc meâ, unde peti possint, indi-  
catione. Cæterum est istud opus maximè  
varium & multiplex, ac vix minus diffusum  
quam ipsa Natura. Hic enim de rerum crea-  
tione habetur sermo, de meteororū, pluvia,

grandinis gelu, nivis, tonitru, fulguris generatione; de Solis, astrorumque naturâ, gemmarum & mineralium, animantium quadrupedum, avium præcipuarum, ac immannium etiam piscium, ita ut liber iste eorum quæ in aliis dispersa sunt compendium esse videatur. Nec solum circa Naturam versatur. Moralibus præterea disciplinis, virtutum encomiis, vitiorum detestatione, veræ amicitiæ præceptis, universæ vitæ sancte & piè instituendæ regulis totus est referitus. Perfecti imaginem viri exhibet, quibus prosperis non insolescat, adversis non cedat, domum, civitatem, aut regnum ex æquo & bono moderetur; Castitatem, misericordiam, paupertatem spiritûs, oculorum & cordis custodiam, circa cogitata cautionem, rectum divitarum usum prædicat, ac istum sic passim, ut de uno illo videatur agere ex professo. Quid, si quæ circa Theologiam continet, attendantur? Ut de justorum præmiis, de Impiorum suppliciis, de Dei summa Majestate, potentia, sapientia, providentia, æquitate & justitia? Non ex me loquor, sed ex Hieronymi ipsius mente, cuius hæc sunt verba. *Iobus exemplar Patientie, quæ non mysteria complectitur?* Profâ incipit, versu labitur, pedestri sermo-

ne finitur , omnesque leges Dialectica , proposi-  
tione , assumptione , confirmatione , conclusione  
determinat . Singula in eo verba plena sunt  
sensibus . Et ut de ceteris taceam , resurrectionem  
corporum sic prophetat , ut nullus de ea ma-  
nifestius scripserit . Hæc Hieronymus . Quibus  
addi possit Jobum ita crucem & ærumnas  
probare , ita malorum tolerantiam in bonis  
numerare , ut hæc doctrina aut Christiana  
sit & Evangelica , aut certè proxima & si-  
millima Evangelio , quæraturque frustra  
in Philosophorum voluminibus : cùm Epicurei  
voluptatem sectentur , Peripatetici  
omnia mala horreant , Stoici miseris do-  
ceant ferrum in se acuere , ad laqueos &  
præcipitia confugere ; quod Jobus , licet  
omni ærumnarum genere supra mortales re-  
liquos conflictatus , piè , & ut Deo subditissi-  
mus , aversatur .

ILLUSTRISSIMI  
ET REVERENDISSIMI  
DOM. TORNACENSIS  
EPISCOPI  
AD AUTHOREM  
EPISTOLA.

*Charissimo Fratri & Compresbytero  
Ioanni Maury Theologo.*

**E**cce ad nos rediſ, mi Mauri, non Florilegium, quod promiseras, allaturus, sed ampla onustus mesſe à te studioſiſſimè collectā, in utriusque Fortunæ campo, quam Jobus identidem expertus est, Cœlo illius vices alternante; ſadeò, ut poſt te ne quidem vel ſpicilegio quidquam relictum eſſe videatur. Hoc opere cunctas Naturæ, Legis, Evangelij præceptiones, regulásque comprehen-diſti, nihilque, quod ad mores pertineat, à te prætermiſſum eſt. Porro vides, Doctiſſime, & ſuavifſime amice, à me nullâ fuiffe te adulatione deceptum, cùm tibi, poſtemenſum Sapientiæ ſtadium, gratulatus ſum eveniſſe, quod antea eventurum eſſe fueram auguratus, ſcili-er Sapientiam tibi vires addidiſſe. Tot enim & tantas addidiſſit, ut, hoc libro, jam proiectā licet ætate, ſed ſtatiſ post evolutum excultumque Salomonicae Sapientiæ codicem, à te perfecto, vix quidquam majore animi robo-bre, & ſolidiori elaboratum industria legi poſſit. Atti-gisti à fine uſque ad finem fortiter. Reliqua Illustriſſimi, Sanctiſſimi, Sapientiſſimi Meccenates tui diſponent ſua-viter. Vale.

GILBERTUS Episcopus  
Tornacensis.

Tornaci die 17.

Menſis Auguſti 1678.

APPROBATIO.

ILLUSTRISSIMI  
ET REVERENDISSIMI  
DOMINI EPISCOPI  
GLANDATENSIS.

**L**ibrum legi cui titulus, *Speculum patientiae, sive metricalis Paraphrasis in Librum Job, eique in textus commentarius cum moralis, tum literalis ex mente sanctorum Patrum:* Et titulo quem præfert fideliter respondere compcri, nec non rerum grandium & sublimium circa quas versatur dignitas ad celsitudini. Nihil ille nedum continet fidei Catholice Apostolice Romanæ, bonisve moribus adversum, verum etiam innumeris scatet moralibus disciplinis, quæ ingenioso artificio elaboratae, & multa venustate ornatae, tanto fortius animos piorum lectorum percellunt, quanto incundiūs per Poëtica blandimenta irrepunt. Eapropter eum censemus dignum qui Typis mandetur. Datum Parisis die 24. Augusti 1677.

Fr. LEO Episcopus Glandensis.

APPROBATIO.

**P**araphrasim metricam, seu commentarium cum literalem, tum moralem in Jobum, à Doctissimo Viro Domino JOANNE MAURY Elegantissimis Carmi-

nibus exaratum & legi ipse magna cum voluprate & dignum judico qui ab aliis pari cum animi sensu legatur. In hoc quippe Libro nihil non pium, nihil non rectum, & juxta bonos mores scriptum testor. Uno verbo is est commentarius, qui (ut ait D. Hyeronimus de Libris divi Hilarij) in offenso pede à quocumque percurri possit. Datum Tolosæ pridie Calendas October anno 1673.

GUILLELMUS CASEMAJOU Sacræ Theologiæ  
in Academia Tolosana Professor.



## APPROBATIO.

Pletatem Clarissimi viri Domini JOANNIS MAURY,  
in eligenda quâ Musam exerceret materiâ, illiusque  
in ea pertractanda solertiam, pro dignitate commendare  
posse non mihi videor. Sacram enim Jobi historiam gra-  
vissimis scutentiis, doctissimisque interpretationibus, ita  
illustravit, ut eruditissimorum interpretum commentariis  
metrica illius Paraphrasis meritò possit æquiparati; hanc  
autem ingeniosis concinnisque dictis ita exornavit, ut cul-  
tissimorum Poëtarum non cedat lucubrationibus. Quæ  
cùm aliunde nihil à fide Catholica aut bonis moribus alie-  
num contineat, dignissimam censeo quæ Typis mandetur.  
Datum Tolosæ die 15. mensis Novembris anno 1678.

GUILLEMOT Doctor Theologus.

## COLLATIONEA

COLLEGIALE LIBRARIÆ  
IN AULAM accepit  
P. G. COLLOMB  
S. J.

## Errata in Textu.

P Ag. 34. vers. 2. semonem lege sermonem  
pag. eadem vers. 4. semones lege sermones.  
pag. 143. vers. 1. Balad, lege Baldad.  
pag. 174. vers. 18. domus lege domos.

---

## Errata in Paraphrasi.

P Ag. 45. vers. 25. sanguinum lege sanguineum.  
pag. 57. vers. 4. mormore lege marmore.  
pag. 77. vers. 6. addit lege addidit.  
pag. 87. vers. 1. Sic lege Hic.  
pag. 111. vers. 2. feteor lege fateor.  
pag. 119. vers. 17. conam lege comam.  
pag. 120. vers. 1. proprietor lege propior.  
pag. 121. vers. 7. immatum lege immutatum.  
pag. 145. vers. 5. vocee lege voces.  
pag. 163. vers. 18. efficiantur lege afficiantur.  
pag. 198. vers. 19. fiunt lege fiunt.  
pag. 226. vers. 1. Nec. lege Hæc.  
pag. 228. vers. ultimo feræ lege ferr.  
pag. 261. vers. penultimo erredere lege credere.

144. Act 1. Scene 1. *Enter King Lear*

## *Enter King Lear*

144. Act 1. Scene 1. *Enter King Lear*

I  
נַּחֲרֵב כָּל־עַמְּךָ וְאֶת־בָּתֶּךָ תִּתְּבֹּשֵׁסְךָ: תִּתְּבֹּשֵׁסְךָ כִּי־כִּי־כִּי־  
בְּנֵיכְךָ בְּנֵיכְךָ בְּנֵיכְךָ בְּנֵיכְךָ בְּנֵיכְךָ בְּנֵיכְךָ בְּנֵיכְךָ בְּנֵיכְךָ

# LIBER JOB.

## CAPUT I.

*Job sanctus & dives, pro filiis vicissim convivia celebrantibus Domino sacrificat, cuius possessiones petenti Satanæ Dominus diripiendas exponit, per quem perditâ omni illius substanciali, interemptisque filiis, ipse cum signis maiestitiae patiens, in Dei laudes prorumpit.*

 Ir erat in terra Hus , nomine Job , & erat vir ille simplex , & rectus, ac timens Deum , & recedens à malo :

2. Nati sunt ei septem filij , & tres filiae .
3. Et fuit possessio ejus , septem millia ovium , & tria millia camelorum , quingenta quoque juga boum , & quingentæ asinæ , ac familia multa nimis : eratque vir ille magnus inter omnes orientales .

A

4. Et ibant filij ejus, & faciebant convivium per domos , unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas , ut comederent & biberent cum eis.

5. Cumque in orbem transissent dies convivii , mittebat ad eos Job , & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim : Ne forte peccaverint filij mei , & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus.

6. Quadam autem die , cùm venissent filij Dei, ut assisterent coram Domino , affuit inter eos etiam Satan.

7. Cui dixit Dominus : Unde venis ? Qui respondens , ait : Circuivi terram , & perambulavi eam.

8. Dixitque Dominus ad eum : Nunquid considerasti servum meum Job , quòd non sit ei similis in terra , homo simplex , & rectus , ac timens Deum , & recedens à malo?

9. Cui respondens Satan , ait : Nunquid Job frustra timet Deum ?

10. Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum , operibus manuum ejus benedixisti , & possessio ejus crevit in terra ?

ii Sed extende paululum manum tuam,  
& tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem  
benedixerit tibi.

12 Dixit ergo Dominus ad Satan , Ecce ,  
universa quæ habet , in manu tua sunt : tan-  
tum in eum ne extendas manum tuam.  
Egressusque est Satan à facie Domini.

13 Cùm autem quadam die filii & filiæ  
ejus comederent & biberent vinum in do-  
mo fratris sui primogeniti.

14 Nuntius venit ad Iob , qui diceret: Bo-  
ves arabant,& asinæ pascebantur juxta eos.

15 Et irruerunt Sabæi , tuleruntque om-  
nia , & pueros percusserunt gladio , & evasi  
ego solus, ut nuntiarem tibi.

16 Cùmque adhuc ille loqueretur , venit  
alter , & dixit : Ignis Dei cecidit è cœlo , &  
tactas oves puerosque consumpsit , & effugi  
ego solus , ut nuntiarem tibi.

17 Sed & illo adhuc loquente , venit alius ,  
& dixit : Chaldæi fecerunt tres turmas , &  
invaserunt camelos , & tulerunt eos,necnon  
& pueros percusserunt gladio , & ego fugi  
solus ut nuntiarem tibi.

18 Adhuc loquebatur ille , & ecce alius  
intravit , & dixit : Filiis tuis & filiabus ves-  
centibus & bibentibus vinum in domo fra-  
tris sui primoginiti.

19 Repente ventus vehemens irruit à regione deserti , & concussit quatuor angulos domūs , quæ corruens oppressit liberos tuos , & mortui sunt , & effugi ego solus , ut nuntiare tibi.

20 Tunc surrexit Job , & scidit vestimenta sua , & tonso capite corruens in terram , adoravit.

21 Et dixit: Nudus egressus sum de utero matris meæ , & nudus revertar illuc : Dominus dedit , Dominus abstulit : sicut Domino placuit , ita factum est ; sit nomen Domini benedictum.

22 In omnibus his non peccavit Job labiis suis , neque stultum quid contra Deum locutus est.



# PARAPHRASIS CVM COMENTARIO INTER TEXT O.



I RTUTUM sit tanta licet concordia ,  
credi  
Ut possint , manibus velati per mutua  
nexæ ,  
Ec Justi cognato omnes in pectore jungi ;

Attamen ex illis princeps supereminet una  
 Pierumq; & meritis præstans, & honore, graduque.  
 Abrami sic firma Fides, sic fulget Ioseph,  
 Castus honos, sic & fortis Patientia Jobi  
 Rebus in adversis. Mole incumbente gravatum  
 Afflictumque solo languens dum corpus adhæret,  
 Ad Cœlum erigitur Mens inconcussa, manētque  
 Celso affixa polo, subitus latrante procellâ  
 Immani, omnigenum rabieque undante dolorum.  
 O ! qui cuncta regis jure, & ratione supremâ,  
 Cuique animum placuit Jobi explorare, fidemque,  
 Durâque victorem post tot certamina palmis  
 Cingere, resque illi latae geminare priores;  
 Da clari Pietate viri memorare labores  
 Fortiter exhaustos, à te aspera missa benignè  
 Ejus nempe bono vertenda, salubria tela,  
 Intactas lauros media inter fulmina, quâsque  
 Invictâ meruit fieri virtute beatas  
 Ærumnas : digno mira hæc da pandere versu,  
 Fas sit inaccesso, duce te, dare vela profundo;  
 Hac spe solvo ratem fidens, portumque relinquo.

Est inter fines Arabum, celebrisque fluenta  
 Jordanis, regio, quæ quondam *Hus* nomine dicta,  
 Quæque fuit veterum mater famosa gigantum,  
 Sæclorum at lapsu in partem descivit Idumæs.  
 Illi jura dabat Rex servantissimus æqui,  
 Et populo lex viva suo, fax prævia recti,  
 Signifer exemplo, primus sua iussa capessens;  
 Jobus hic ille fuit, fortunâ clarus utrâque,  
 Recte utrâque vius, dives, pauperque, fidelis

Usque Deo, toto perstans innoxius ævo ;  
 Prognatus quamvis Esau de sanguine, læva  
 Scilicet ex illa deductus origine Quartus.  
 Quare nec sanctâ de stirpe superbiat ullus,  
 Erubeat nec quis pravis natalibus ortus,  
 Vim fieri e aliquam serie sibi credat ab illâ,  
 In culpas ut & ipse trahi cogatur avitas;  
 In natos nam nulla fluit cum semine noxa :  
 Sola nocet mentis propria & spontanea labes;  
 Ut neque sanctorum manat virtusque parentum  
 In prolem, & justus soli est sibi quisque, piusque.  
 Longius at nec sint nec plura exempla petenda.  
 Sufficit ista Isaac bifido de germine proles,  
 Partu bina uno, diversoque edita fato.  
 Electum Jacob generis quid namque fuisse  
 Profuit autorem Terrâ è Memphitide fortis  
 Educatis dextrâ, calcata per æquoris ima,  
 Mirè in Deserto potis, & rore cibatis  
 Æthereo, oblii si mox, conflatile numen  
 Impiè adorantes, & seditione furentes?  
 Jobus cœlestis fuit hujus muneris exors,  
 Perque piam seriem non luminis attigit oras,  
 Factus at ipse pius, mercedéque dignus, abunde  
 Quæ certè est illi numerosâ indultáque prole,  
 Divitijsque, ætas quales ferre illa solebat  
 Præcipuas, teneri non longè ab origine mundi,  
 Latis arorum spatijs, lato ubere glebae,  
 Armentis, quorum numeris vix posset initi.  
 Auri atque argenti qui nunc est ardor habendi  
 Nondum tantus erat, pretium nec ubiq; supremum;

Sordebat etenim plerisque, ut cætera, cæcis  
 Quæcumque è Terræ latebris gremioque, profundi  
 Aut Maris ex adytis labor improbus eruit imis,  
 Ad luxum tantum & vanæ spectacula pompæ,  
 Ceu placeat solis vesci ornarique periclis,  
 Temnere quod facilī promptoque parabile cultu;  
 Vel certè illorum levior tunc cura, magisque  
 Gaudebant opibus primæva hæc sæcula vivis,  
 Aut nova quas Tellus gremio fundebat amico,  
 Ad vitam quarum prior est & proximus usus,  
 Atque hunc ad finem quas Natura alma ministrat,  
 Veras nimirum sufficiuntasque, parandis  
 In reliquis cùm sit nullus finisque, modisque,  
 Et semper cumulo vertex neget ultimus addi.  
 Claruit his opibus totâ venerabile Jobi  
 Nomen Idumæâ, totâ celeberrima fama  
 Armeniâ, toto demum est Oriente vagata.  
 Ingratæ sed opes cùm sint sine prole fruendæ,  
 E casto suscepta toro sunt pignora septem  
 Mascula, foeminei tria sexûs, digna propago  
 Vite suâ, digni trunco rami, arbore fructus.  
 In sancti crevere sinu, monitisque Parentis  
 Unanimes, jurisque sui sunt denique facti,  
 Et partem ex opibus sortitus quisque paternis  
 Vivo Patre, illis simul uti ad recta docente,  
 Posteritati & se sic ipse immiscuit autor.  
 Ac mox, conciliat quia mensa & servat amicos,  
 Strictius ut fraternus amor coalesceret, omnes  
 Assuerunt per amœnè epulis sese ordine festis  
 Excipere, & secum socias adhibere sorores,

Illa coercebant convivia namque modesto  
 Se luxu , nil virgineum læsura pudorem.  
 Postquā erat hæc series epularum expleta, priūsqam  
 Inciperet gyro volvi novus orbis eodem ,  
 Pro jam transacto natis Pater usque timebat ,  
 Incauti ne quid peccassent, inter & illa  
 Pocula , quæ fines intra juvenilis honesti  
 Credere sat poterat , multâ tamen illa piabat  
 Victimâ , & hæc etiam natos ad sacra vocabat.  
 Sic vestigabat , sic scrutabatur , ab illis  
 Non solum quid agi poterat , sed mente revolui ,  
 Sive Dei à cultu sive à ratione recedens.  
 Florebat domus hæc ex omni parte beata ,  
 Vix& opum poterat vel honorū accedere quidquam.  
 Verùm extrema inter quām nil interfuit ? illa est  
 Sors subitò mutata , imæ data summa ruinæ ;  
 Id que , Dei nutu , non , edita vertere casu  
 Assueto , casus si sit tamen ullus , at una  
 Ni potius , quæ cuncta regit divina voluntas ,  
 Ignoto nobis , verùm moderamine certo.  
 Ecce autem quâ ducta hæc est ab origine labes.

Angelici cœtus , Aulæ stellantis alumni  
 Supremo fuerant Mundi à rectore vocati ,  
 Intulit hisque simul Satæ se , ille malorum ,  
 Autor cunctorum , & qualem se nomine præfert ,  
 Attamen usque ardens aliquid retinere prioris  
 Gloriæ , in æthereo cùm fulserat agmine princeps .  
 Huic Deus , unde venis ? ( nectanquam ignota referri  
 Vult ea cunctis , sed vult ipsumque fateri ,  
 Oréque se damnare suo , de more superbum . )

Non

Nec mora, cùm similis semper sibi talia fatur.  
 Totus Terrarum mihi , quà patet , ambitus orbis  
 Est peragratus , ubi vario me crimine cultum  
 A cunctis vidi , cunctos mihi thura ferentes.  
 Tum Deus, At certè mentax convinceris uno  
 Vel saltem à Jobo ; potuisti namque videre ,  
 Invidiæ cæcus n̄ sis , odiive tenebris ,  
 Quàm pious & quàm sit toto mihi pectore fidus.  
 Huic nullum fert Terra parē; nec lampade Mundum  
 Sol lustrans similem metam videt inter utramque.  
 Vix ea fatus erat , reddit cùm talia Satan.  
 An verò est Jobus gratis pious ? illius empta  
 Immenso est pietas pretio tibi. Præmia quem non  
 Tanta doment ? quis non & amet tam mollia seruus  
 Vincula , naturæ sit quantumcumque rebellis ,  
 Quando minore velint Tigres mansuescere cultu ?  
 Vel Dōmino poterit quodam sibi jure videri  
 Esse suo major , Dominus cui cuncta ministrat  
 Ad libitum, servit Domini cui provida cura.  
 Est à te Jobus muro vallatus aheno ,  
 Illum cingit opum , cingit munimen honorum ,  
 Natorum series , servorum exercitus , amplio  
 Subditus imperio populus , fœcunda superno  
 Prædia rore , tuo demum omnia numine læta.  
 Dextrâ sustentas illum & sua quæque ; tuendis  
 Sicque vacas illis , quidquam extorquere tenaci  
 Ut valeat vis nulla tibi. Patiate sed illam  
 Tantillum expandi dextram , & dimittere sola  
 Illum quæ cingunt bona , quassarique beatam  
 Divitiarum illam struem , & illucescere rimam  
 Huic muro minimam ; mutatâ sorte , nec ullâ


Jam certâ mercede , probum mox esse pigebit ,  
 Nec te erit , at de te lucrum prædâmque secutus ,  
 Se seruîmque tibi téque ejurabit amicum ,  
 Téque reum peraget , crimenque impiaget acerbi ,  
 Injusti , nec clam , sed nil veritûsque , timénsque ,  
 In faciémque tibi jactans verba impia. Mendax  
 Prædicer ipse , fidem nisi facta sequentia firment .  
 Tum Deus , haud dubitans , hōc in certamine Jobus  
 Quin nova mox esset meriturus præmia vîctor ;  
 En , inquit , Jobum tecum certare paratum  
 Invidiæ permitto tuæ ; sed terminus esto  
 Externis spoliare bonis , intactus at ipse  
 Sit tibi , sitque sacer danti vasta omnia circum .  
 Sit maris hīc littus commoti ; advolvere fluctus  
 Corpus ad usque licet , citra tamen impero frangi .  
 Vix ea fatus erat , rapido cùm turbine Satan  
 Devolat , & ventis & fulminis ocyot alis ,  
 Inque pias Jobi subitus delabitur ædes .  
 Intremuere illæ præsago horrore ruinæ  
 Non intellectæ : Quis námque pericula felix  
 Prospectat , rebus non indormitque secundis ?  
 Inter ea Satan , cui nunquam occasio defit ,  
 Ut malè semper agat , nempe hoc attentus ad unum ,  
 Haud frustra properasse velit , modicâve quiete  
 Propositum differre atrox ; accingitur illi ,  
 Aut illud potius momento orditur eodem .  
 Ecce autem Jobum quibus impedit ordine telis ,  
 Ordine si quid agat qui turbare omnia gaudet ,  
 Quôque creatus erat qui sprevit in ordine cogi ,  
 Äquarique Deo voluit , superûsve sedere .  
 Instaurans epulas fratres exceperat illâ

Forte dñe natu major , securus agebat  
 Hancque Pater , poteratque nihil subolere molesti.  
 Nuntius ecce ruit , pallens , tremebundus , anhelus ,  
 Et sudore fluens , rumpitque has pectore voces .  
 Bobus arabantur rura , expertesque laboris  
 Pascua tondebant asinæ vicina ; Sabæi  
 Ecce ruunt equites , abigunt asinâisque , bovésque ,  
 Corpora dantque neci servorum cuncta tuorum ,  
 Me præter , solus stragis qui nuntius adsum .  
 Vix bene desierat , cum nuntius insilit alter ,  
 Tristior , ut pejora ferens , ac talia fatur .  
 Aversum , Rex , numen habes , hostiléque Cœlum ,  
 Horrendum & quidquid gremio fovet arduus æther .  
 Dextra irata Dei flamمام est jacula voracem  
 In cunctos oviumque greges , oviumque magistros .  
 Sulphureos cuncta in cineres sunt versa , nec una ,  
 Quâ placare Deum possis , est viva relicta  
 Victima ; solus ego supero , quô nescio fato ;  
 Per medios evasi essem qui nuntius ignes .  
 Tertius exceptit famuli mox verba secundi ,  
 Pallidiora gerens etiam lugubriùs ora .  
 Prædones , inquit , Chaldæi , vivere rapto  
 Gens assueta , lupos rabie superansque leones  
 Impastos , turmis tribus invasere camelos ,  
 Avertere omnes . Nec præda sat illa , sed ipsos  
 Maestavere simul custodes . Nuntius unus ,  
 Adversum postquam objeci me mille periclis ,  
 Prædonésque quibus potui sum viribus ultus ,  
 Fortuitam tela inveni per mille salutem .  
 Admota in Jobum suprema est machina tandem  
 Longè horrenda magis , quæq; hanc impellere rupem

Visa potens , alijs immotam huc usque procellis ,  
 Ergo funereum quartus se Nuntius infert.  
 Multus in ore dolor , sed plurimus æstuat intus ,  
 Profiri metuens simul , indignansque latere.  
 Horrisona demum hanc vocem Pater auribus hautit.  
 Heu ! luctum lugens egomet tibi nuntio quantum  
 Omiserande parens , si te , sine prole , Parentem  
 Dicere jam fas est ? Natum tibi credito nullum  
 Jam superesse. Domi convivas frater habebat  
 Hos natu major , noras ut & ipse , trahebant  
 Hunc hilare inque diem , læta inter , sobria quamvis ,  
 Pocula , nec ludis intincta jocisve protervis ,  
 At superis quod non potuit sic forte videri.  
 Namque à Deserto venti vis ecce furentis  
 Advolat , atque domum mox sedibus eruit imis.  
 Vasto cum sonitu subitam trahit illa ruinam ,  
 Convivas super incumbens , mensaque ministros ,  
 Confusique jacent illiæ tua viscera nati ,  
 Est Dominis servisq; unum & cōmune sepulchrum.  
 Corpora néve tibi sperentur herilia nosci ,  
 Si tumulo selecta velis mandentur avito ,  
 Deformata etenim cuncta hīc , & truncata videres ,  
 Membra intrita cibis , confusaque sanguine vina.  
 Nuntius evasi solus , servatus in usum  
 Hunc tristem , vitæ hōcque datum miserabile munus .  
 His Jobum incessit Satan primo impete telis ,  
 Terrenis alternatim cœlestia miscens ,  
 Hōc , quò se vertat , refluo ne norit in æstu ,  
 Sic vult cuncta illi se circum noxia credi.  
 E Terrā grassatores , & ab æthere fulmen  
 Ventosque immittit , nociturnum accersit & omne .

Quin & solamen, spēmque omnem ut tollat ab alto,  
 Esse iratum illi fingit Deum, & illius hostem,  
 Ad quem perfugium jam nullum aditusque pateret.  
 Quid Jobus? Certè non illi in pectore marmor,  
 Non rigidusve chalybs, sed ad intima vulnus adactū  
 Persentit, funus natos cùm conderet unum,  
 Cùmque sepulta domus tota hāc in strage jaceret.  
 Quem non tanta premat tanto sub pondere moles?  
 Surgit at ille tamen, velut obvius ire paratus,  
 Ulterius posset si quid superesse ferendum;  
 Surgit, quando alij minimo procumbere fuerunt  
 In mœrore. Comam tondet, nam moris acerbo  
 Hoc erat in luctu, scinditque à pectore vestem,  
 Moris item nam tunc, & erat pars funeris illa.  
 Atque hæc implerunt partes ubi justa paternas,  
 Corruit in terram, supremum & Numen adorans,  
 Illius se judicio, penetrabile quamvis  
 Id sibi non esset, subdit placidusque volensque,  
 Atque piè demum voces prorumpit in istas.  
 Materno ex utero nudo me corpore Terra  
 Suscepit natum, atque aliud nihil inde trahentem:  
 Hæc eadem me Terra manet, gremio quoque nudum  
 Exceptura suo, quō sumque egressus, eodem,  
 Vanam post speciem, cultaque habituque revertar.  
 Nil fatum, nil sors mihi nec fortuna dedere.  
 Si qua habui, Deus illa dedit, Deus abstulit idem;  
 Nil queror. Accepi quidquid, lucro illud habebam,  
 Nec nunc damno habeo, Dño quod reddere cogor,  
 Amplector quodcumque illi placuitque, placetque.  
 Percutit, ut sanet, cruciat, solaminis autor  
 Ipse futurus, & hæc me spes tenet; hanc tamen ipsam,

Si jubeat falli , justum haud minus esse fatebor.  
 Quidquid ager, fugiam, quo sine animoque feratur,  
 Scrutari , cuncta esse ejus sub numine certus ,  
 Et nihil unquam illum facere aut permittere frustra,  
 Sæviat ille in me quacumque videbitur ita ,  
 Æternis ejus mihi laus celebrabitur hymnis ,  
 Justitiae in medijs peragam præconia pœnis.  
 Haud dubie Satan dictis stupefactus ab illis  
 Abscessit : primo nihil hōc certamine Jobus  
 Deliquit, fulsique ejus Patientia victrice ,  
 Estque nocendi alias Satan conversus ad artes.



## CAPUT II.

Satanas obtenta à Deo facultate percutit Iob ul-  
 cere pessimo, cui etiam propria uxor insultat:  
 tres autem ipsius amici eum visitantes , sep-  
 tem diebus compatientes in terra cum eo ta-  
 citi sedent.

1.  ACTUM est autem , cùm quadam die venissent filij Dei,  
 & starent coram Domino , ve-  
 nisset quoque Satan inter eos ,  
 & staret in conspectu ejus,

2. Ut diceret Dominus ad Satan : Unde ve-  
 nis ? Qui respondens ait : Circuivi terram ,  
 & perambulavi eam.

3 Et dixit Dominus ad Satan: Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra.

4 Cui respondens Satan, ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.

5 Alioquin mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi.

6 Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serra.

7 Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem ejus:

8 Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilino.

9 Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo & morere.

10 Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es; si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his non peccavit Job labijs suis.

11 Igitur audientes tres amici Job omne

malum , quod accidisset ei , venerunt singuli de loco suo ; Eliphaz Themanites , & Baldad Suhites , & Sophar Naamathites . Condixerant enim , ut pariter venientes visitarent eum , & consolarentur .

12 Cumque elevassent procul oculos suos , non congnoverunt eum , & exclamantes ploraverunt , scissisque vestibus sparserunt pulvrem super caput suum in cœlum .

13 Et sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus , & nemo loquebatur ei verbum : videbant enim dolorem esse vehementem .



## PARAPHRASIS.



A M retulisse pedem primo in certamine Satan  
Est visus , nequit sed bello absistere  
victus ,  
Ausus Concilio superum se sistet  
rursus ,

Detur ubi Jobum contra s̄avire potestas  
Amplior , & presso frēnos laxare furori .  
Huic iterum Deus , unde venis ? sic rursus & ille .  
Orbem circumij , toto Regnator in illo .  
Dissimulans ejus se dicta audisse superba ,  
Pœnā digna novā , potuisset si qua priori

Addi

Addi jam summæ , vultu Deus ista sereno  
 Subdidit. Ecquid habes de nostro denique **Jobo** ,  
 Quique tibi cessit certaminis exitus ? anne ,  
 Ut rebare , aut te finxisti ut credere , virtus.  
 Hæc fucata fuit , speciesque umbratilis æqui ?  
 Illius Pietas mansit nonne integra semper ,  
 Acceptas post tot clades ? num naufragus illi  
 Affixus tabulæ , demersis omnibus , hæsit ,  
 Nudus eamque tenet , nec vis extorserit ulla ?  
 Ast illum contra laxis sum passus habenis  
 Invidiam sævire tuam , frustraque probari  
 Virtutem , quæ tam mihi nota. Examine certè  
 Asperiore patent Jobi pietasque , fidésque ,  
 Indulsique tuo nimium , vase , furori ,  
 Huicve indulsti tibi morigerantior ipse .  
 Concessis uti poteras , esque ausus abuti .  
 Tunc Satan de spe nihil invidiaque remittens ,  
 Egregiam verò laudem tuus ille meretur  
 Tam decantatus tibi **Jobus** ? quamlibet amplas  
 Nonne potest communis opes contemnere virtus ?  
 Quantumcumque avidus , jactat Mercator & illas  
 In fluctus , nudâ felix evadere vitâ .  
 Sunt luceri vice , quæ pretij periere minoris ,  
 Illorum damno si sint meliora redempta .  
 De cotio cuivis alieno est ludere promptum ,  
 Estque aliam quamcumque sua pro pelle daturus  
 Quilibet. Uxorem , natos , & cuncta saluti  
 Devoveat propriæ , cùm sit passurus & ignes  
 Et ferrum , posthæc mutilo modò corpore vivat .  
 Jobi igitur tangi corpus , mortisque timorem  
 Ejus ad ossa adigi modico patiare dolore .

Dispeream dictis ni te infestetur acerbis  
 Impius , infestas & ni vomat ore querelas.  
 Hæc Satan. Nec mirum , adeo si firmiter istud  
 Afferuit , sperans cessurum nempe dolori  
 Vincere quem nequirit modò tot jactura bonorum.  
 Nam solet esse dolor Virtuti acerrimus hostis ,  
 Ardentes ante ora faces horrendaque monstra  
 Intentans , torquens diris cruciatibus intus ,  
 Intima per corpus penetrans vitalia mentis ,  
 Illa nisi superæ firmetur robore dextræ.  
 Hæc odio nostri flagrat qui perpere Satan  
 Cùm norit , nobis in nosmet abutitur ipsis ,  
 Quà licet ; illecebris nam turpibus instat inertem  
 Enervare animum ; vel vi stimulisque dolorum  
 Jactare in Cœlum convicia suadet , & ipsum  
 Increpitare Deum , terum illi expungere curam ,  
 Aut saltē in dubium revocatæ intendere sitem ,  
 Præcipue insontem cùm quis se credit , ut audent  
 Credere penè omnes , fontes cernitque bearī ;  
 Nam de se bene quisque solet sentire libenter ,  
 Séque ægrè damnare , sui deceptus amore ,  
 Déque alio suevit facilis sententia ferri.  
 Hæsit in hōc Satanæ fiducia maxima telo ,  
 Cederet ut Jobus morfu fodicante dolorum ,  
 Inque Deum dictis senviret fulmine dignis.  
 Nec voluit Deus hanc illi spem tollere totam ,  
 Haud dubius , quænam foret experientia. Jobi  
 En inquit , corpus morbo quocumque premendum  
 Arbitrio permitto tuo , modò vita supersit ,  
 Sitque illibatus decreti terminus ævi.  
 Quippe coronandum nolebat ad æthera Jobum

Ferri confestim , & subitâ mercede potiri,  
 In terrâ cùm vellet adhuc post bella beari  
 Victorem , clarum déque hoste referre triumphum.  
 In pugna nam si cecidisset , parta vocari  
 In dubium poterat victoria , sospite victo  
 Atque exultante , & nullum subeunte pudorem  
 Dæmone , qui palmam mendax simulasset adeptam.  
 Postquam expressa Dei fuit illa ex ore facultas ,  
 Ad tam grata refert Satan nihil , eque nocendi  
 Tempore concessò verbis excerpere nullis  
 Vult leve momentum : factis parat ocyus ipsis  
 Respondere , iras & vires pestifer omnes  
 Concutit , & Jobo præceps illabitur. Ejus  
 Omnia jam dederat primo certamine pessum ,  
 Corpus erat reliquum ; tetro ferit ulcere totum ,  
 Nullus ut esse novo posset locus , eripit omne  
 Auxilium , immundum præter , quô putrida possit  
 Membra fovere , finum. Iacet hîc , & regia sedes  
 Est ea , proque omni præsto est solamine testa ,  
 Quâ fecundam eradat saniem , jussosque medullis  
 Ingiter ex imis scatere atque erumpere vermes .  
 Vita relicta potest hoc tantum sine videri ,  
 Hunc ad solum usum , mala toto ut corpore longum  
 Sentiat. Accessit suminis cruciatibus vxor ,  
 Supremum quæ facta malum , quando esse levamen  
 Debuerat , certè hōc jungi connubia sine  
 Cūm soleant , licet eventus non rarus aberret.  
 Noluit hanc in clade domus involuere Satan ;  
 Quippe ministerio speraverat illius uti ,  
 Quali expugnarat mentemque fidemque Parentis  
 Humani generis , ducens totam inde ruinam .

Et verò , quò blanda virum non pellicit uxor?  
 Quos non in scopulos miseri mens naufraga ferri  
 A lævo præcunte illo patiatur amore,  
 Præcipue socios Dæmon ubi contulit astus?  
 En quibus hæc Iobum dictis væsanalaceffit.  
 Anne & adhuc menti tua perstat inutilis illa  
 Simplicitas , spéque à Cœlo lactaris inani?  
 Ingrati tibi perstat amor , cultusque maligni  
 Numinis? Ipsum illud quodcumq; est peccore tandem  
 Excute, & injusti juvet illi intendere crimen ,  
 Immeritosque tuos ulcisci utcumque dolores,  
 Ulcisci stragemque domūs , natōsque peremptos ,  
 Me mendicām , inopem , cunctis & rebus egentem ,  
 Vermibus & te vivam escam , spiransque cadaver.  
 Quid Deus ille tuus tolerandum , quidve timendum  
 Addiderit gravius ? Quas insuper aggetet iras ?  
 Quæ nunc tela vacant? Num tota exhausta pharetra?  
 Damna fatigavit Cœli Terræque furores  
 In tua. Quid supereft? Mortem poteritne minari?  
 Fulmineam ve illam Cœlo jaculabitur alto?  
 Mors tibi munus erit , vel munetis instar habenda  
 Si quid inest animi. Quin , illi occurrere gesti ,  
 Ipsum téque urge. Meta illa extrema malorum.  
 Nemo diu miser invitus , cui terminus ille  
 Tam prope semper adest , horā quique obvius omni.  
 Stulte alia expectas pietatis præmia vanæ.  
 Talibus oblatrat præsentis fœmina sortis  
 Impatiens , veterisque memor , geminoque furore  
 Hinc ardens ; verbis nec solis aspera , torvo  
 Subsannat sed vultu , & temperat unguibus ægre ,  
 Quin odiosam hanc spem corde illi evisceret imo.

Iobus ad hæc. Dilecta uxor , quò te abripit error ,  
 Quóve dolor ? Loqueris , malesana ut fœmina possit  
 Vita fuisse loqui. Ventis documenta dedisti  
 Quàm citò nostra? Dei quámque est reverentia pror-  
 Ex animo deleta tuo , cùm prospera cessit ( sus )  
 Adversæ fortuna locum? Deus attamen autor  
 Est utriusque , æquâ qui temperat omnia lance ,  
 Et quid conveniat nobis quidque utile novit.  
 Expediat quando , dat læta ; dat aspera , cùmque  
 Iuverit ; est & homo , quàm sit sibi , charior illi .  
 Quare etiam illiūs nobis subeunda voluntas  
 Est animo semper , mala , seu bona dividat , æquo .  
 Quin etiam dici nequeant mala , semper amicâ  
 Illiūs quæcumque manu fluxere ; veneni  
 Contactu ex illo nomen noxámque benigna  
 Amittunt , perdunt usu pariterque frumentum ,  
 Inque bona est operæ vīsa hæc mala vertere nostræ .  
 Quidquid id est ; si Terra in me conjuret & æther ,  
 Corpus in hócque unum series cumuliisq; malorum  
 Omnis acervetur , memori non excidet unquam  
 Mente Deus , nec quæ tot læta indulcerat antè .  
 Si bona suscepi , cur & mala ferre negabo ?  
 Nil peccavit in his Jobus , pia cuncta locutus ,  
 Atque in amore Dei constans ejusque timore ;  
 Fœmineas sicque illecebras in stercore vicit ,  
 A quibus est victus Paradisi in floribus Adam .  
 Vedit ubi Satan illum cessisse sinistrum  
 Conatum , uxor is se frustra animasse querelas ,  
 Frusta Tartareis accendisse ignibus iram ;  
 Spem solers viresque aliò convertit , amicos  
 Scilicet ad Jobi , quos ejus fama malorum

Excierat, domibus condictâ luce relicti;  
 Tres illi numero, sed mens erat omnibus una,  
**J**obi ut mulcerent aliquo lenimine pœnas;  
 Dæmonis idque astu, leni hōc captare dolentem  
 Affatu ut possint, verbisque paretur amicis  
 Insidiosa fides, & post, suadentibus ipsis,  
 Nullâ ut desperet Jobus superante medelâ,  
 Aut aliquam supereflæ illorum ex ore negante  
 Dæmone; primo aditu quod nec suadere parabat,  
 Sed sensim, & factus cùm visus idoneus autor.  
 Nempe, ut ab hoste suo cùm quis se cernit adiri,  
 Insultum occursu nocuum suspectat ab illo,  
 Munit & adversum se, atmatusque reniti  
 Confidit: Boreæque timens à flatibus, arctè  
 Ut se obvoluit, Soli nudatque tepenti:  
 Sic fieri Satan sperabat posse, benignam  
 Illorum ad vocem ut Jobus deponeret arma,  
 Et clypeum, quô visus erat septemplice tectus,  
 Abijceret, telisque latus præberet apertum.  
 Ergo adeunt, lustrantque oculis propioribus illum,  
 Inque simo nequeunt immundo nosse sedentem,  
 Qui modò visus erat solio sedisse superbo.  
 Mox, ubi, discussâ ceu nube, innotuit, altum  
 Ingemuere, caput tundunt, & pectora rumpunt,  
 Et lacerant sparsos & foedant pulvere crines.  
 Septem continuis Jobo assedere diebus,  
 Nec tollunt mersum luctu caput, usque madentes  
 Nec prohibent manare genas, tacitoque dolorem  
 Corde premunt; allata domo solamina muti  
 Promete nulla, malis longè majoribus, audent;  
 Nec si fortè ausint, detur voci exitus, ingens

Namque silet dolor, est linguae mediocribus usus.  
 Sic illi ex animo doluere; dolore sed illo  
 Jobi in perniciem Dæmon sperabat abutiri, (frustra  
 Nec tamen hicque minus, quam Iobi in conjugi



### CAPUT III.

*Job, laxatis naturæ habenis, maledicit diei nativitatis suæ, præsentique vitæ, ostendens mortalium miseras, & à quot malis liberatur qui hac luce statim privatus est.*

I **P**ost hæc aperuit Job os suum,  
 & maledixit diei suo,  
 2 Et locutus est.  
 3 † Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo.

4 Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine.

5 Obscurent eum tenebrae, & umbra mortis; occupet eum caligo, & involvatur amaritudine.

6 Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.

- 7 Sit nox illa solitaria , nec laude digna :  
 8 Maledicant ei qui maledicunt diei , qui  
 parati sunt suscitare Leviathan :  
 9 Obtenebrentur stellæ caligine ejus : expe-  
 ctet lucem & non videat , nec ortum surgen-  
 tis Auroræ .
- 10 Quia non conclusit ostia ventris , qui  
 portavit me , nec abstulit mala ab oculis meis .
- 11 Quare non in vulva mortuus sum , eges-  
 sus ex utero non statim perij ?
- 12 Quare exceptus genibus ? Cur lactatus  
 uberibus ?
- 13 Nunc enim dormiens silerem , & somno  
 meo requiescerem :
- 14 Cum regibus & consulibus terræ , qui  
 ædificant sibi solitudines :
- 15 Aut cum principibus , qui possident au-  
 rum , & replent domos suas argento :
- 16 Aut sicut abortivum absconditum non  
 subsisterem , vel qui concepti non viderunt  
 lucem .
- 17 Ibi impij cœlaverunt à tumultu , & ibi  
 requieverunt fessi robore .
- 18 Et quondam vinciti pariter sine molestia ,  
 non audierunt vocem exactoris .
- 19 Parvus & magnus ibi sunt , & servus  
 liber à domino suo .
- 20 Quare misero data est lux , & vita his ,  
 qui

qui in amaritudine animæ sunt ?

21 Qui expectant mortem , & non venit,  
quasi effodientes thesaurum.

22 Gaudentque vehementer cum invene-  
rint sepulchrum.

23 Viro cuius abscondita est via, & circum-  
dedit eum Deus tenebris ?

24 Antequam comedam suspiro : & tam-  
quam inundantes aquæ , sic rugitus meus :

25 Quia timor , quem timebam , evenit  
mihi : & quod verebar accidit.

26 Nonne dissimulavi ? Nonne silui ? Non-  
ne quievi ? Et venit super me indignatio.

### PARAPHRASIS.

**D**Urè & inhumanè sentir , quicumque  
dolores  
Indignum sapiente putat minimosve  
levare  
Per geimus , vel acerbâ aliquas de  
sorte querelas ;  
Nec credit satis esse , Dei cultûsque , timórque  
Si sedeant animo , reverentia sitque prementis  
Intima , sed soli peragant hæc extera sensus  
Qui juri plerumque negant se subdere nostro .  
Delirat , deliranti vel proximus ille est ,  
Nos jubeat læto qui ferre asperrima vultu ,

Inque alieno ut si cruciemur corpore , sanos  
 Latere nos fangi , & nil violabile nostri ,  
 Ceu sit idem lautæ convivam accumbere mensæ ,  
 Affigive cruci , subiectisve ignibus ura .  
 Ad vivum nimio sunt illa resecta severo ,  
 Ipse ea nec præstet , temerè qui talia jactat ,  
 Ambitiosa aut si Ratio velit illa jubere ,  
 Non ejus faveat mox experientia jussis ,  
 Exterior plerumque nisi quam fucus adumbrat ,  
 Corde fremente intus vultum simulando serenum ,  
 Ut non te sed sit Sapientia nomine viatrix .  
 Sentit nempe aliud corpus , Ratióque suadet ,  
 Illam nec fuerit promptum componere litem .  
 Nos gignit Natura homines , non marmora , summiè  
 Nosque facit nostri nostræque salutis amantes  
 Ut pariterque solent animalia cætera tangi .  
 Quare , adversum animus si quid sese obtulit , horret  
 Et refugit , quâ junctum hæret compagine corpus ,  
 Quod non theca hominis , nou vas , circumdata vestis ,  
 Aut tumulus gradiens , carcer portatilis , aptè  
 Dicatur , verum est hominem pars altera conflans ;  
 Dum queriturque , dolor nihil illi suadet inepti ,  
 Jure utique suo possit natura videti ,  
 Hâc ratione tamen , modus his ut questibus adsit ,  
 Nec muliebre sonent læso lamenta Decoro .  
 Naturam contra , monstri vice , nititur ille ,  
 Quem stupor , immanis vel vis , sine mente rigescens ,  
 Ingeniumve atrox in quælibet aspera durant ,  
 Non , tolerandarum consulta scientia terum .  
 Ipse quidem sapiens mala firmat in omnia sese ,  
 At sic , humanum non ut tamen exuat omne ,

Interdumque dolor quin corde exæstuet imo,  
 Ast animi robur non debilitante querelâ,  
 Imò augente etiam , qualis clamoribus urget  
 In stadijs cursoreque fugam , pugilésque gemendo.  
 Longius adductis devolvunt cæstibus idum  
 Majorem , quām compositi virtute quietâ.  
 Sunt etiam , in pugna qui terga nocentius ipsum  
 Quām pectus vertunt , cedentes leniter hōsti ,  
 Cedere vel visi ; tela intereaque retorquent ,  
 Infesta , ac animo non vincunt siveque minori.

Sic , ubi persensit Jobus sub mole dolorum  
 Se semper graviore premi ; cùm vidi amicos  
 Tam siluisse diu , nullumque audere levamen  
 Affatu tentare suo , spe fessus inani  
 Horum ex adventu , testari tædia vitæ  
 His cœpit verbis , credit dum forsitan illam  
 Displacuisse Deo , meritóque hinc vulnere pleasti ,  
 Nam quid posse Deum decernere credat iniqui ?

Quām sœvâ mercede , mihi data prima diei  
 Usura? Ah pereat , possit si fortè perire  
 Lux illa ; haud saltem fastis numeretur in ullis.  
 Momento cur non defecit tempus in illo ,  
 Aversumve suos cur se non egit in ortus ?  
 Cur orbem Solis lampas funesta retexit ?  
 Involvi renuit cæcis cur illa tenebris ?  
 Hanc labente utinam Deus exemisset ab ævo ,  
 Noctibus & geminis confusa fuisset , utrique  
 In partem , lucis medio sine limite , cedens.  
 O malesana , meam prægnantem gaudiâ matrem  
 Quæ comitata , & quæ parientem , quæque secuta  
 Post partum , ludis , epulis celebratâque festis ,

Flebilius ne me de tot mortalibus ullus;  
 Atque malorum esset simili qui pondere pressus.  
 Saltem, natalis cùm lux volet illa revolvi  
 Annua, funereos præ se ferat horrida vultus,  
 In mundum ingressum vel caligo obstruat atra.  
 Sin minus, & series vult illam æterna cieri,  
 Terreat exoriens, qualis suprema futura. (æquo,  
 Quæ quondam, ac animo nemo illam admiserit  
 Elapsam nedum cupiat de more reduci.  
 Ipse etiam Deus, ignaro si possit & ipso  
 Illa perire dies, illam non ipse requirat  
 Absentem, placitam vesibi velit esse, sacramque  
 Ut festas alias, usus subeatque profanos.  
 Tristibus hæc tenebris condatur, mortis & umbræ,  
 Quāmque mihi funesta fuit sit & horrida cunctis.  
 Halitus hanc Terræ, caligo involvat ab alto;  
 Quāmque dies mortis, cuvis videatur amara.  
 Hæc quoque sum quâ nocte satus, tam sorte sinistræ,  
 Auspicijs tam non felicibus, atra fuisse  
 Debuit, absentis non tantum lampade Solis  
 Extinctâ, illunis nec solum, ac sydere nullo  
 Claram audente facem proferre, viamque secare;  
 Debuit ast etiam stridentibus horrida nimbis,  
 Immani terras verrentéque turbine, cæcum  
 Plus solito Cœlum subtexere, fulmine solo  
 Discutiente illas luce horridiore tenebras,  
 Et geminante metum tonitru totumque tremore  
 Pervadente orbem; demum hæc nox debuit ipsi  
 Congeneres Mundo Naturæ abrumpere leges,  
 Et, distincta suâ quæ se regione tuentur,  
 Omnia fœdifrago miscere elementa tumultu.

Annua saltem illam series quando orbe reducet  
 Exploro, ærumnas semper caligine signet  
 Turbidiore meas. Solam memor exigat illam  
 Posterioritas, cœtu nullo nullaque frequentem  
 Lætitiam, non ipsorum qui vertere sueti  
 Nocte diem, gaudent quique exercere choræas  
 Nocturnas, epulas & qui, ludosque, diurno  
 Tradentes sese post illa peracta sopori;  
 Stulti, captando ceu qui funalia somno  
 Accendunt, hâc ut videant se luce quieti  
 Compostos; utuntur & hi sic lampade Solis,  
 Quæ non somnum at quæ nata illustrare labores.  
 Non hanc ipsi illi noctem hos dignentur in usus  
 Vertere, & his sapiat nil dulce, sonetve canorum;  
 Credat & infausto se quælibet omne tradi,  
 Inque torum fugiat deduci nupta jugalem  
 Hâc nocte, haud aliter, quam si, lætabilis hujus  
 Sub specie pompæ, vivens raperetur humanda.  
 Tempora peccando qui noctis idonea querit,  
 Quique tenebrarū Regem, umbrarumque potentem  
 Invocat, ac veluti de somno suscitat, atras  
 Ut sibi consociet vires, operamque ministram  
 Conferat, hic noctis tenebras tamen horreat hujus,  
 Tamque neget piceas ipse ille Tenebrio ferre,  
 Jactare in lucem soleat convicia quamvis,  
 Hancque odio, autorem pariterque illius habere,  
 Ut quæ peccandi solet ingenerare pudorem.  
 Absentem supplere solent quæ sydera Solem  
 Deliquium nocte æternum patientur ab illâ,  
 Auroram expectet quæ frustra, lumine læto  
 Purpureas de more fores aperire negantem.

Ob nostrum fontem sic se illa fatebitur ortum ;  
 Prægnantis referari uterum quod passa parentis ,  
 Nec placuit citra vitæ me sistere limen.  
 Proh ! quid me in mundum voluerunt aspera trudi  
 Fata , infelici ducturum tramite sœvos  
 Feralisque dies , vitale hoc denique funus ?  
 Decretum sed si fuerat mibi luminis oras  
 Attingi , dictâ cur discessisse salute  
 Non potui , & breviter libasse has lacteas auras ,  
 Antè , mali quam felle omnis potarer amaro ?  
 Aut potius cur me nascentem exceptit amicis  
 Obstetrix genibus ? Cur fudit ab ubere nutrix  
 Lac , magis ærumnis quam vitæ alimenta futurum ?  
 Torpenteam , tacitum , sine sensu , somnus haberet  
 Primâ esset raptus vitæ si flosculus horâ ,  
 Quâ Reges alijs post fata quiete fruuntur  
 Iple simul fruerer . Terrarum angustior illis  
 Terminus est visus , peragrarunt milite Mundum  
 In numero , mundus vix sufficiebat & unus ;  
 Ploravere suis plures non crescere votis ,  
 Nec plures se posse ipsos habitare superba  
 A se structa locis diversa palatia multis ,  
 Ut neque metiri nec se numerare scientes .  
 Erexere sepulchrales ad sydera moles  
 Immensas , ut si cuperent hic condere secum  
 Humanum simul omne genus , populisque timeri  
 Tum quoque , productâ post ipsa Tyrannide fata .  
 Ast illos demum , quam cætera corpora , cepit  
 Non spatiū majus , vacuum mansitque sepulchri  
 Quod reliquum fuerat vanâ ambitione paratum .  
 Nil juvere illos sumptusque & pompa superstes ,

Auxilio nec jam sunt ulli, olimve futura?  
 Mors omnem ut sedat miseri taciturna querelam;  
 Ac adimit sensum quemcumque sopora malorum;  
 Sic & opum tollit quemvis locupletibus usum,  
 Ac uno cunctos cumulans confundit acervo.  
 Saltem optandi esset si qua hic mihi justa facultas,  
 Essem ut abortivus periens in semine foetus  
 Informis, vel qui vitalem eductus in auram  
 Mox illâ ejicitur. Lucem non ille requirit,  
 Quâ vix Iustratus, quam vix à limine vidit,  
 Ignotæque potest cujus nulla esse cupido.  
 Confecit cursum, nec navim à littore soluit.  
 O! felix Mortis regio, regnumque beatum,  
 O Pacis sedes tranquilla, & amica quietis,  
 Ponit ubi Bellator iners atque immemor arma,  
 His sibi qui nuper pugnaverat omnia cedi,  
 Et ferro lites, amoto jure, secabat,  
 Victor ut ille foret, cujus lethalior ensis.  
 Est placidus, fuerat qui seditionis amator  
 Indocilis tolerare jugum. Qui vixit honorum  
 Et dominandi avidus, fert ambitione solutis  
 Hic æquari alijs, positoque incedere fastu;  
 Nam locus hic vani simulachris nullus honoris,  
 Sueverunt animos quæ ludificare superbos.  
 Servus ibi nullus; fuerat qui compede vincitus,  
 Solvitur, & siccat lacrymas qui flevit amaras.  
 Non metus à sævis nec vis premit ulla Tyrannis.  
 Non operum, non hic alieni exactor & æris,  
 Imponensque jugum servile, in vincla trahensque.  
 Æquat Mors omnes, omnes sed non rapit æquè.  
 Felices rapit accelerans, inopina, trahitque

Invitos ; miseris & sese urgentibus ipsos  
 Indulget tandem vix se , lenteque morando  
 Macerat annosos ; possitque oblita videri ,  
 Ni magis immitti gaudet torquere recessu .  
 Ha ! miseris usura illis cur præbita lucis  
 Invisæ , extingui vel non permittitur ortu  
 In primo , luctus mox circumfusa tenebris ;  
 Moréve non transit ruelæ per nubila flammæ ?  
 Expectant mortem , renuitque vocata , diuque  
 Expectata , ac non ardore petita minori ,  
 Effossâ quam terrâ avidè quærentibus , aurum .  
 Exultant illi , ferit auri ubi lumina fulgor ;  
 Istoruni inventum sic implet vota sepulchrum ;  
 Jactatis nec se portus quoque gratior offert .  
 Nempe omnis miseris labor est , tesaqua inter opaca  
 Ferre gradum titubantem , & vepres inter acutos ,  
 Credaturque Deus , cæco & sine sydere cœlo  
 Invidisse illis lucem , tranquilla receptent  
 In loca quam sese , salebrosa & devia vitent .  
 Justius hæc quis me toto videatur in orbe  
 Posse queri ( salvo , cui stat me subdere , summo  
 Numinis arbitrio , semper lex una futurum  
 Quod mihi ) jam dudu morti sum proximus , hanc  
 Jam subiisse puter , nam distat mortuus à me  
 Quam nihil ? Exanimis spiro tamen usque ; dolores  
 Nec vitæ hoc reliquum possunt abrumpere , quamvis  
 Pars horum vitas esset satis una superque  
 In plures , vel quas Mundi prima edidit ætas  
 Nativo instrutas ad sœcula multa calore .  
 Quæ nostris par namque malis sit vita ferendis ?  
 Nostrum cuncta caput circumfiliere , citato

Agmine, quot nullum, sic omni ex parte coorta;  
 Invasere aliud. Dolor in me est omnis adactus,  
 Ferri aciem superans, & lentæ incendia flammæ,  
 Aut laniena potest si quæ crudelior addi.  
 Dira malis alimenta meis subducere vellem  
 Posse dapes, sæuosque fame finire dolores;  
 Qualicumque istâ sed quod discedere nulli  
 E statione licet, ducis imperiumque supremi  
 Est expectandum, vitæque è carcere solus  
 Nos Deus educit, nec quis sine crimine tentet  
 Quantumvis miseræ putres abrumpere nexus;  
 Ingratos, nec non nocituros carpere cogor  
 Ore tremente cibos, cogor lacrymisque madentes;  
 Singultusque mei, gemitus, suspiria, clamor,  
 Rugitus, celso ut Torrens de monte fragosè  
 Præcipitans, rauco latè loca murmure complent.  
 Evenere tamen, fateor, non hæc mihi prorsus  
 Improvisa, bonis diffidens omnia noram  
 Tempus habere suum, mala mox succedere posse,  
 Prospera verti, illis ex æquo adversa rependi.  
 Sed quām præsago non sat veroque timore  
 Extimui? Quām prævisis graviora sequuntur?  
 Horum quæ patior vix mens sibi finixerat umbram.  
 Interea murmur muto pressi ore rebelle,  
 Dissimulavi, homini patiens toleranda, nec ultra  
 Naturæ vires, patiens quoque, credere supra  
 Quæ liceat, patiensque diutandum advoco mortem,  
 Sed surdam; auxilio nec vult esse illa medelæ.  
 Indefessa Dei me contra intenditur ira,  
 Ordinéque incumbunt graviora, negantia ferri.  
 O Deus! Ah nimium (fas sit mihi dicere) plectis.

Aut vires patienti auge , pœnâsve remitte.  
Mens refugit nihil ; una mei pars deficit ima.  
Lapsantein fulci , superoque hanc robore firma.



## CAPUT IV.

*Eliphaz arguit Job impatientiae , conaturque ei  
persuadere , quod propter peccata sua flagelle-  
tur à Deo , qui innocentì adversa non immittit .*

<sup>1</sup> **R**ESPONDENS autem Eliphaz Themanites , dixit .

<sup>2</sup> Si cœperimus loqui tibi ,  
forsitan molestè accipies , sed  
conceptum semonem tenere quis poterit ?

<sup>3</sup> Ecce docuisti multos , & manus lassas ro-  
borasti :

<sup>4</sup> Vacillantes confirmaverunt semones tui ,  
& genua trementia confortasti :

<sup>5</sup> Nunc autem venit super te plaga , & de-  
fecisti ; tetigit te , & conturbatus es .

<sup>6</sup> Ubi est timor tuus , fortitudo tua , pa-  
tientia tua , & perfectio viarum tuarum ?

<sup>7</sup> Recordare obsecro te , quis unquam in-  
nocens perijt ? Aut quando recti deleti sunt ?

<sup>8</sup> Quin potius vidi eos , qui operantur ini-  
quitatem , & seminant dolores , & metunt eos .

9 Flante Deo periisse , & spiritu iræ ejus esse  
consumptos :

10 Rugitus leonis , & vox leonæ , & dentes  
catulorum leonum contriti sunt.

11 Tigris periit , eo quod non haberet præ-  
dam , & catuli leonis dissipati sunt.

12 Porro ad me dictum est verbum abscon-  
ditum , & quasi furtivè suscepit auris mea ve-  
nas susurri ejus.

13 In horrore visionis nocturnæ , quando  
solet sopor occupare homines .

14 Pavor tenuit me , & tremor , & omnia  
ossa mea perterrita sunt.

15 Et cùm spiritus me præsente transiret ,  
inhorruerunt pili carnis meæ .

16 Stetit quidam , cuius non agnoscebam  
vultum , imago coram oculis meis , & vocem  
quasi auræ lenis audivi .

17 Nunquid homo , Dei comparatione ju-  
stificabitur , aut factore suo purior erit vir ?

18 Ecce qui serviunt ei , non sunt stabiles ,  
& in Angelis suis reperit pravitatem :

19 Quanto magis hi qui habitant domos  
luteas , qui terrenum habent fundamentum ,  
consumentur velut à tinea ?

20 De mane usque ad vesperam succiden-  
tur : & quia nullus intelligit , in æternum pe-  
ribunt .

21 Qui autem reliqui fuerint , auferentur  
ex eis : morientur , & non in sapientia.

## PARAPHRASIS.

**H**ic tandem Jobus lacrymabilis ora  
querelæ  
Abrumpit , vitam inque suam , no-  
cetemque , diemque ,  
Quâ conceptus erat , superas quâque  
hauserat auras  
Acriter invectus , veritus sed semper amaris  
Autorem superum malesanè incessere verbis.  
Huic similis , scalpro cui membrum inciditur ægrum ,  
Qui ferre invalidus stimulos morsusque dolorum  
Infestis medicum perstringere dentibus horret ,  
Labra sed ipse sua , aut vestes , aut linteum mordet ,  
Qualicumque illo sensu eluctamine fallens .  
Tunc , aliena homines ut quisque ad damna diserti  
Esse solent , prompti verborum offerre medclam ,  
Atque illam censere malo satis esse levando  
Cuilibet alterius , proprijs quæ cederet impar ,  
Ærumnis si fortè premi contingat eisdem ,  
His Themanites Eliphaz se vocibus infert .  
Ex animo tecum si vera loquamur , amice ,  
Et tua tractemus medicâ si vulneta curâ ,  
Non , blandâ palpante manu lethaliter , ægrè  
Fortè feres , surdâ nosque aversaberis autem .  
Insolitum est in te à nobis pugnantia dici ,

Hocque est nostra cui nunquam veneratio passa.  
 At postquam insonuit tua tam non justa querela;  
 In Cœlum jacta, inque Deum, cui crimen iniqui  
 Impingens humana illum curare videris  
 Abnuere, invitatis à nobis subgrave forsan  
 Responsum extorques, queat hic quis namque silere,  
 Nec partes utcumque Dei regimenque tueri?  
 Nonne, autà flabat tibi cùm fortuna secundâ,  
 Solari es solitus miseros, mentésque jacentes  
 Erigere, & vires medicatis addere dictis?  
 Fortior anne fuit, téque experientior ullus  
 Nutantes firmare pedes, vestigia fixo  
 Instaurare gradu, cohibere minantia lapsum?  
 Quæ tua tunc pietas, alijs tamque utile multis  
 Eloquium, in dubium visa est ubi cura vocari  
 Cœlestis, ceu nostrarum malè provida rerum?  
 Est à te quanto rationum pondere fulta?  
 Adversis te gaudebat suadente, pusillo  
 Quantumcumque animo qui se demiserat antè.  
 Pat autem es visus quanto magis ipse ferendis  
 Omnibus esse malis, alijs tam strenuus autor,  
 Nimirum cùm longè aberant à te illa beato?  
 Aspera nunc quando subiere & tristia lœtis,  
 Est tua versa rētro subito sententia lapsu,  
 Tótque alijs fortis languens tibi deficis uni.  
 Jam tuus ille Dei timor, observantia, cultus  
 Sunt ubi? Religio tua quò nunc illa recessit?  
 Quò, tibi quæ laudata adeo patientia, tamque  
 Decantata, alios subdi dum nempe docebas  
 Numinis arbitrio, totamque hic spemque fidemque  
 Ponere, quæ nullum tibi jam revocantur in usum?


Quò demum integritas tua tanta, viasque per omnes  
 Justitiae incessus, virtutumque illa corona,  
 Perfectusque in te recti concentus & æqui?  
 Alii vera hæc pietas, vano aut simulamine tantum  
 Ficta fuit? Quorum sis conscius ecce fateri  
 Tempus adest, pandique Deo, veniamque precari,  
 Innocuum nam plecti illi quis viderit unquam,  
 Aut fastis mandatum ullis quis tempore longè  
 Legit ab antiquo, primâ aut ab origine mundi,  
 Deleri aut velli justum radicitus ullum?  
 Vidi, ærumnarum vario qui pondere pressi,  
 Hic atque ille alio, sed tantum ad tempus, & esse  
 Illos demum auto similes, quod ab igne probatum,  
 Aut Soli, evictâ qui nube micantior exit.  
 Nam suffectoræ funduntur ab æthere vires,  
 Nec Deus unquam illos sinit in certamine vinci  
 A se proposito, aut frustra velit esse parata  
 Præmia, opem propriam sed in illis ipse coronat,  
 At contrâ, solo pœnas à sorte reposcit,  
 In se ni redeat, ni sit resipiscere cura.  
 Vidi, delectant quos impietasque, scelusque,  
 Et quibus unum opus est placidos vexare, probosque,  
 Noxia damnificis inspergere semina sulcis,  
 Pro semente illis messem similēmque rependi,  
 Quæque alijs fecere, sinu ut deposita fideli,  
 His tandem, nec non multo cum fœnore reddi.  
 Visus ab ore Dei flari ceu spiritus urens,  
 Qualis, marcorem qui flavæ inducit aristæ,  
 Ad nihilum redigens segetem, vacuosque relinquens  
 Folliculos, similâ fervore rubiginis haustâ,  
 Ustâve quæ remanet fœtore friabilis atro.

Cœlestis demum ira malos sic perdit inardens ,  
 Atque arente illos , simul & sua , pulvere mutat .  
 Viribus ipsum æquet Rex & feritate leonem ,  
 Illius regnet quoque more , atque imperet instar  
 Omnia raptantis , lacerantis , sparsa trahentis .  
 Rugitu pro voce tonet , sæva affonet illi  
 Tota domus , nati infrænes , conjuxque superba ,  
 Atque Tyrannicolæ , devoti ad cuncta Ministri .  
 Hujus itemque iræ sit juncta leonis & ira ,  
 Tigridis orbatae rabiesque , sitisque cruoris ,  
 Aut aliud poterit si quid truculentius addi ,  
 Obsistatque nihil , quin vasta det omnia latè ;  
 Nil sunt illa Deum contra valitura ; subibit  
 Tantus vincla leo , dentes minuentur & ungues  
 Non expectato senio , venatibus impar  
 Quod solet esse ; ipsâ sed languidus inque juventâ  
 Prædæ ægredetur inops , & tabe fameque peribit ,  
 Aut mendicatam prædator repet ad escam ,  
 Cum catulisque suis , & cum consorte Leænâ ,  
 Prociduique trement fuerant quibus antè tremendi .  
 Nil fortem , nil esse vafrum , celeremive juvabit ,  
 Quin subeat vindictam operans perversa , cadatque  
 In casses , irata Dei quos dextra tetendit .  
 Effugient peccas Soli has meruisse fatentes ,  
 Quosque pudet meriti rite & quos pœnitit hujus ,  
 Supplicibusque petunt votis qui tela recondi .  
 At , ne solo à me , temerè & sine lumine certo  
 Hæc tu dicta putas , locuples adhibebitur autor ,  
 Atque palam fient auri clam credita nostræ .  
 Nox erat & primæ tradebat fessa quieti  
 Corpora , mille trahens varias imitantia forma

Somnia , cùm totum subitus me perculit horror ,  
 Arrectisque comis riguerunt frigore membra  
 Occulto , faciem visusque est stringere ventus .  
 Ecce autem sese ante oculos , ut ab æthere , sistic  
 Ignoti nova forma viri ( manet intima menti  
 Nunc etiam memori ) compresso moxque tumultu ,  
 Sedatoque metu , lenis more insonat auræ  
 Has edens voces . Quid terra , cinisque superbis ,  
 Mortalem quisquis trahis æger homuncio vitam ,  
 Qua te cumque idem cœlestis origine jactes  
 Terrenusque simul , geminâ de stirpe biforme  
 Ambiguumque animal , pariter repensq; volansque  
 In trutinâ quicumque Dei librabere , justo  
 An te posse putas reperiri pondere ? Purum  
 Et sceleris sese damnatus judice credet  
 A summo , aptatus cum deterioribus , insons  
 Quod sibi , quodve alijs potuit quoque fortè videri  
 Blandiri sibi de vitâ non audeat ullus  
 Inculpatâ , ipfis quando in cœlestibus error  
 Mentibus insedit , nec ab his pravum absuit omne ,  
 Divini potuere jubar nec fallere Solis .  
 Autori collata suo sunt vilia quæque ;  
 Sunt mera caligo , luci collata supremæ .  
 Illæ , inquam , Solis velut æmula sydera , mentes ,  
 Conspectuque Dei præsenteque luce fruentes ,  
 Illusque ministerio jussisque dicatæ ,  
 Defectum sunt passæ ; ecquid , quæ corpore mersæ  
 In luceo ? cæco quæque hōc in carcere vindictæ ?  
 In scelus est lapsus quanto proclivior istis  
 Terricolis , Terræ affixis , & terrea circum  
 Indutis , quarum , ut tineis obnoxia vestis ,

Vermibus

Vermibus est putris rodi damnatus amictus?  
 Quod verò ad tempus dilatum credere finem  
 Hunc sibi possit homo? Solis metam inter utramque,  
 Corpore nunc & mente valens, multosque fruendis  
 Qui sibi delicijs promittit vividus annos,  
 More potest secti momento arescere fœni,  
 Inque simum turpi subeunte putredine verti.  
 Nec non ille etiam fuerit quicunque superstes  
 Mox & idem calcabit iter, seriesque secuta  
 Postera, saecla pari contendet ad ultima cursu,  
 Dispare sed fato, pravum excipiente probumque,  
 Præmia namque Deus redivivis dividit æqua,  
 Pœnam illi, caritura isti quæ gaudia fine.



## CAPUT V.

*Eliphaz rursus arguit Iob iniquitatis, quod ne-  
 mo sine culpa sua à Deo puniatur: ideoque  
 hortatur Iob ut ad Deum convertatur, & ita  
 cuncta fore illi prospéra pollicetur, ac divinæ  
 providentiae opera circa creaturas extollit.*

**V**oca ergo, si est qui tibi res-  
 pondeat, & ad aliquem san-  
 ctorum convertere.

**2** Verè stultum interficit ira-  
 cundia, & parvulum occidit invidia.

**3** Ego vidi stultum firma radice, & male-

dixi pulchritudini ejus statim.

4 Longè sient filij ejus à salute , & conterentur in porta , & non erit qui eruat.

5 Cujus messem famelicus comedet , & ipsum rapiet armatus , & bibent sitientes divitias ejus.

6 Nihil in terra sine causa fit , & de humo non oritur dolor.

7 Homo nascitur ad laborem , & avis ad volatum.

8 Quam ob rem ego deprecabor Dominum , & ad Deum ponam eloquium meum:

9 Qui facit magna & inscrutabilia & mirabilia absque numero :

10 Qui dat pluviam super faciem terræ , & irrigat aquis universa :

11 Qui ponit humiles in sublime , & mœrentes erigit sospitate :

12 Qui dissipat cogitationes malignorum , ne possint implere manus eorum quod cœperant :

13 Qui apprehendit sapientes in astutia eorum , & consilium pravorum dissipat :

14 Per diem incurrent tenebras , & quasi in nocte sic palpabunt in meridie.

15 Porro salvum faciet egenum à gladio oris eorum , & de manu violenti pauperem.

16 Et erit egeno spes , iniquitas autem contrahet os suum.

17 Beatus homo , qui corripitur à Deo : increpationem ergo Domini ne reprobes :

18 Quia ipse vulnerat , & medetur : percutit , & manus ejus sanabunt.

19 In sex tribulationibus liberabit te , & in septima non tanget te malum.

20 In fame eruet te de morte , & in bello de manu gladij.

21 A flagello linguæ abscondêris , & non timebis calamitatem cùm venerit.

22 In vastitate & fame ridebis , & bestias terræ non formidabis.

23 Sed cum lapidibus regionum pactum tuum , & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.

24 Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum , & visitans speciem tuam , non peccabis.

25 Scies quoque quoniam multiplex erit semen tuum , & progenies tua quasi herba terræ.

26 Ingredieris in abundantia sepulchrum , sicut infertur acervus tritici in tempore suo.

27 Ecce , hoc , ut investigavimus , ita est : quod auditum , mente pertracta.

## PARAPHRASIS.

**H**æserat h̄c Eliphaz , rursusque his vocibus infit.  
Ni mihi , n̄e alij placet è sapientibus ulli

Certam adhibere fidem , quamvis humana locutus

Sum tibi non tantum , verum & divina , supernè  
Scilicet hausta , Deus mihi cùm dignatus in usus  
Illa aperire tuos , alium modò consule sanctis  
Ex illis , qui mortales posuere renati  
Exuvias , claraque Dei qui luce fruuntur ,  
Ac ipso de fonte bibunt & origine veri.  
Experiare , alio num quis respondeat ore ,  
Quām mihi quō dignata h̄c sunt oracula pandi.  
Verē divitibus solet atque potentibus ira  
Esse comes , sicut comes iræ suevit & esse  
Stultitia , impatiens quid ferre , ipso quoque cœlo  
Demissum , & calces quæ nec jactare veretur  
In stimulum , cùm præstaret leviora ferendo  
Hæc fieri mala , vel precibus votisque juvaret  
Depelli , nempe hâc unâ prostante medelâ.  
At si stulti illâ peccant ex parte potentes ,  
Stultitiâ peccat pauper non fortè minori ,  
Scilicet invidiâ , vitæ quæ pestis & ipsa ,  
Dum negat in propriâ quis posse quiescere pelle ,  
Atque aliorum æger rebus mactescit opimis ;  
Cùm cujusque Deus de fato judicet æquus ,

Et subeunda ejus decreta ad cuncta paratus  
 Debeat esse animus, justa esse hæc omnia certus.  
 Exemplis sunt illa mihi firmatique multis.  
 Vidi fortunâ semper famulante superbum,  
 Dementarat opum quem copia multa, referre  
 Arboris ingentem spatiose vertice truncum,  
 Altè defixis nixum radicibus, humor  
 Sufficitur cui prolificus, succusque benignus;  
 Materno pinguis quem terra immulget amore;  
 Sicca, novercalis, sitiens dum cingit arena  
 Vicinos, ad se ille trahit nam quidquid amœni.  
 Vix potui non huic maledicere, percitus ira,  
 Visa adeo quæ justa mihi, tam florida quando  
 Impietas, tamque in fructus effusa tumentes,  
 Invidioso alijs quæque affluat ubere tanto.  
 Sed subducto eadem mox succo exaruit arbor,  
 Et fructus & frondis honos evanuit omnis.  
 Illum circumdans natorum turba scelestum  
 Ante patrem perijt, sociâ vel strage; superstes  
 Aut si quis, fuit ad modicum, cupidique ruentis  
 Incubuere omnes: malè partæ, vindice nullo  
 Diripiuntur opes, nudantur frugibus arua  
 Demessis nondum, vacuantur & horrea jussis  
 Expectare famem jejuna plebis, ut inde  
 Fœnus sanguinum, lacrymosaque præda petatur.  
 Aut subita si clade domus non tota dehiscit,  
 Hæredes ad judicium rapiuntur, avari  
 Ut Patris exanimus corrasa reglutinet unguis;  
 Illis utque opibus nati spolientur; adeoque  
 Patronus nullus: misereri est criminis instar,  
 Impetus inque illos videatur poscere laudem

Præmiaque, & certent odijs communibus iræ.  
 Sic furto, armatâ vel vi, vel jure jubente,  
 Dispereunt avido quæcumque à patre parata.  
 Nec casu aut credas sorte hæc contingere cæcā.  
**A** nutu effectus divino nullus aberrat.  
 Semine ut absque ullo sæpe herba videtur oriri,  
 Prodiit oceulti tamen ex usagine fœtūs;  
 Sic latet in nobis radix inserta malorum,  
 In lucem quæ deinde suo se tempore prodit.  
**Q**uælibet est homini plectendo aut missa probando  
 Ær umna; insontes fontesque supervenit, unam  
 Non tamen ob causam. Dici hinc queat esse labori  
 Natus homo, ut finxit volueri Natura volatum  
 Congenitum, ac illum pennas aptavit in usum.  
 Horum ubi me fecit crebra experientia certum,  
 Est mihi nil visum satius, quam numine totum  
 Pendere à supero, illius me subdere legi,  
 Méque animo lætis aptare & tristibus æquo.  
**Q**uam potero, ne quid peccem curabo; cadensque  
 In culpam, plecti vel me quoque judice dignus,  
 Supplex orabo veniam, infirmumque precabor  
 Me Deus ut sanet, cœlesti robore firmet,  
 Fulciat ad lapsum proclivem, leniat iram  
 Sonti promeritam, tela avertatque parata.  
 Præsertim fugiam, quales vomis ipse querelas  
**J**actare, insanis Cælumque laceſſere telis,  
 Quo me cumque Deus velit iræ pondere pressum.  
 Confidam totum hoc adiui vel posse levari,  
 Quippe Deus mira est unus qui maxima patrat,  
 Quorum mensurâ numeroque est copia major,  
 Et quæ scrutari, quorum penetrare recessus,

Non nostrū est, quando sumus inque minuscula cæci.  
 E Terræ gremio tenues ciet ille vapores,  
 Cogit & in nubes, éque illis exprimit almos,  
 Arua rigaturos, & fætos frugibus, imbræ.  
 Fontes educit, fluvios effundit, apertis  
 Vorticibus dans per campos errare patentes,  
 Commoda partiri populis diversa remotis,  
 Jungere discretos, liquidoque hōc nectere vinclo.  
 Cui vult ille aufert, idem & largitur honores,  
 Deprimit elatos, humilesque è pulvere tollit,  
 Deturbatque sua dominos de sede superbos,  
 Et jubet abjectos vilesque hūc scandere servos,  
 Materia pariles, similique è semine cretos,  
 Cum luteâ sint ducti homines ab origine cundi,  
 Nec servum Natura, Deus nec fecerit ullum.  
 Spinæ in flores, mœrorem in gaudia vertit  
 Cum lubet; & tuta locat in statione, procellâ  
 Jactato immani cui spes modò nulla salutis.  
 Consilijs injustorum sese ille malignis  
 Adversum præbens jubet illa, per aspera ferri,  
 Perque abrupta, viâ non detur ut exitus ullâ,  
 Propositum patitur nisi fortè attingere finem,  
 E medijs bona si qua malis emergere præstet.  
 Sin minùs, hos stultè sapientes, grandia vasto  
 Qui voluunt animo, contra ius, fasque, quod omne  
 Arbitrio ex proprio placitâque libidine conflant,  
 Ut libitum normâ licitumque æquentur eadem,  
 A metâ avertit longè; lyncesque videntur  
 Qui superare, vident medio quod noctua Sole.  
 Hos proprijs laqueis, propriâ capit arte, parata  
 Inque alios fuerant quæ tela retorquet in ipsos

Autores, imo meditata in corde revelat,  
 Ventilat, & fumo nebulisque dat irrita vanis.  
 Erigit ille idem prostratos, ditat egenos  
 Cùm juvat, illorum scítque haud obstat saluti,  
 Namque parandæ ipsæ non sunt, per séque petendæ  
 Divitiæ, solo quæ nempe probantur ab usu,  
 Nec faciunt sapientem hominem faciuntve beatum,  
 Quin potius vitijs curisque alimenta ministrant  
 Non raro, & fuerunt opibus se tradere mores.  
 Non mendax, tendens arcum, intorquensque sagittas  
 Lingua, venenato non dente Calumnia rodet  
 Tutatur quemcumque Deus; sed ab ore, manuque  
 Eripiebat prædatoris, rictusque voraces  
 Contrahet, & vacuos frustrato eludet hiatu.  
 Hæc igitur constans habeat fiducia justum.  
 Duret egens, néve ærumnis desperet in ullis;  
 Non sinet æternâ Deus illum mole gravari.  
 Ter verò poterit dici ille quatérque beatus,  
 Hæc Deus in vitâ quem corripit, increpat, angit;  
 Atque salutiferis neglecto à crimine pœnis  
 Quem revocat. Dextrâ non, si sapis ipse, paternâ  
 Immissas illas torvo aversabere vultu.  
 Quin potius juvet amplecti; nam vulnera dulces  
 Illa trahunt succos, feriendo hæc tela medentur  
 Una alijsque malis; putri ut cum sanguine febris  
 Elicitur, vomicâque erumpit pestis apertâ.  
 Ergo hæc certa tuæ sedeat sententia menti;  
 Indefessa Dei defendit cura fidelem.  
 Ærumnis cum te à senis extorserit, etsi  
 Septima succedat, subeantque hoc ordine mille;  
 Non ejus dextram numerus molésve fatiget,

Eripiat

Eripiat semper quin te perstetque tueri  
 Incolumen, quin & passis te protegat alis.  
 Illius sicut nutu jussuque flagellum,  
 Humanum quodcumque genus toto orbe lacessit,  
 Momen & ad varium quatit hunc, illique minatur.  
 Intactum sed te poterit servare procellis  
 In medijs, ac pro meritis secernet, amoris  
 Pro ratione tui, pro mortigerique timoris  
 Sæviat ore fames impasto, cogat & ipsas,  
 Infandum, matres epulandos tollere natos,  
 Visceribus pascique suis; belli ingruat horror,  
 Vastet cuncta, Dei servabere numine fospes,  
 Illius averti si rite precaberis iram.  
 Ditos in te acuat malesuada Calumnia morsus,  
 Et linguâ mortem jaculari & dedecus instet  
 Obtrectans, eadem veluti super æthera raptum  
 Sublimem te suspiciens muta ora tenebit.  
 Nec minus, indutimores animosque ferinos  
 Te discent, conspectâ homines virtute vereri.  
 Imò ipsæque feræ, lapides videantur & ipsi  
 Tecum juratum ceu pactum & fœdus inire.  
 Nempe tuis cernes mollescere saxa fovendis  
 Seminibus, blandosque tibi substernere gressus,  
 Et posito quævis mansuescere bruta furore,  
 Carpere te quacumque viam regione juvabit,  
 In te divini videant si lumina vultus  
 Non extincta, aut quæ culpis rediviva piatis  
 Emergent, & prima quibus reddatur imago.  
 Tuta adeo si cuncta fortis & habebis amico  
 Læta Deo, quantò esse domi felicia quæque  
 Experiere magis? Junget concordia natos,

Quorum & adhuc numero potes & virtute beari,  
 Junget & uxorem ; junget reverentia servos ,  
 Unà alijsque Deus dederit quoscumque regendos.  
 Et dum compositos mores , ornataque cernes  
 Et speciosa æquo procedere cuncta tenore ,  
 Peccandi tibi materies defecerit omnis.  
 Invidiâ nullâ , nullâ stimulaberis irâ ,  
 Suadebunt sed cuncta Deo persolvere grates.  
 Natorum soboles & erit numerosa nepotum.  
 Quam multo fœcundus ager se gramine vestit ,  
 Non & progenie decoraberis ipse minori.  
 Agmine sic dabitur leni tranare senectam  
 Ad seram. Cumque ad finem perveneris ævi ,  
 Mortis te Oceanus capiet communis , acervus  
 Aut ut maturæ condêris in horrea messis.  
 Accurato hæc sum studio meditatus , amico  
 Trado eadēmque animo ; proprios tu confer in usus ,  
 Intimus explora téque ipsum ac excute totum ,  
 Num quid peccaris , num quid sis conscius , iram  
 Unde Dei mereare ; ores illamque remitti .



## CAPUT VI.

*Obstendit Job se longe graviora pati quam meritus sit, conquerens se ab amicis deseriti, graviter arguens & hos tres qui ad se venerant ipsum consolaturi; ac se quoque patienter audiри petit.*

<sup>1</sup> **R**espondens autem Job, dixit:  
<sup>2</sup> Utinam appendenterentur  
 peccata mea quibus iram me-  
 rui, & calamitas, quam patior,  
 in statera.

<sup>3</sup> Quasi arena maris hæc gravior appareret:  
 unde & verba mea dolore sunt plena:

<sup>4</sup> Quia sagittæ Domini in me sunt, qua-  
 rum indignatio ebbit spiritum meum, &  
 terrores Domini militant contra me.

<sup>5</sup> Numquid rugiet onager cum haberet  
 herbam? Aut mugiet bos cum ante præsepe  
 plenum steterit?

<sup>6</sup> Aut poterit comedи insulsum, quod non  
 est sale conditum? Aut potest aliquis gustare,  
 quod gustatum affert mortem?

<sup>7</sup> Quæ prius nolebat tangere anima mea,  
 nunc, præ angusta, cibi mei sunt.

8 Quis det ut veniat petitio mea : & quod expecto , tribuat mihi Deus ?

9 Et qui cœpit , ipse me conterat , solvat manum suam , & succidat me ?

10 Et hæc mihi sit consolatio , ut affligens me dolore , non parcat , nec contradicam sermonibus Sancti .

11 Quæ est enim fortitudo mea , ut sustinemam ? Aut quis finis meus , ut patienter agam ?

12 Nec fortitudo lapidum fortitudo mea , nec caro mea ænea est.

13 Ecce , non est auxilium mihi in me , & necessarij quoque mei recesserunt à me .

14 Qui tollit ab amico suo misericordiam , timorem Domini derelinquit .

15 Fratres mei præterierunt me , sicut torrens qui raptim transit in convallibus .

16 Qui timent pruinam , irruet super eos nix .

17 Tempore , quo fuerint dissipati , peribunt : & ut incaluerit , solventur de loco suo .

18 Inolutæ sunt semitæ gressuum eorum : ambulabunt in vacuum , & peribunt .

19 Considerate semitas Thæma , itinera Sa- ba , & expectate paulisper .

20 Confusi sunt , quia speravi : venerunt quoque usque ad me , & pudore cooperti sunt .

21 Nunc venistis : & modò videntes plaga-  
gam meam timetis.

22 Numquid dixi : Afferte mihi , & de  
substantia vestra donate mihi ?

23 Vel liberate de manu hostis , & de ma-  
nu robustorum eruite me ?

24 Docete me , & ego tacebo , & si quid  
fortè ignoravi , instruite me.

25 Quare detraxistis sermonibus veritatis,  
cùm è vobis nullus sit qui possit arguere me ?

26 Ad increpandum tantùm eloquia con-  
cinnatis , & inventum verba profertis.

27 Super pupillum irruitis , & subvertere  
nitimini amicum vestrum.

28 Verumtamen quod coepistis explete :  
præbete aurem , & videte an mentiar.

29 Respondete obsecro absque contentio-  
ne : & loquentes id quod justum est , judicate.

30 Et non invenietis in lingua mea ini-  
quitatem , nec in faucibus meis stultitia per-  
sonabit.

## PARAPHRASIS.

**S**ic finem dictis Eliphaz imponit amaris  
 Visusque est Jobo minus ore locutus  
 amico,  
 Nec solandi animo, sed in ipsum in-  
 vectus acerbè,  
 Crimináque intendens vanâ sub imagine ficta.  
 Jobus amicitiae nempe usu cognitus illi  
 Jam fuerat longo; culpæ & licet omnis haberet  
 Expers non poterat (nam quem non attigit ulla?)  
 At non in cumulum poterant hæ crescere tantum,  
 Livente obtutu nisi visæ, & mente malignâ.  
 Hæc contra Jobus tales dat pectore voces.  
 Nostra modum vobis longè lamenta videntur  
 Exuperare, & fas ultra effervere querelæ;  
 At si, quas patior, cum pœnis nostra daretur  
 Delicta appendi, quô fidant pondere pœnæ  
 Depressæ? Quanto patiens graviora videtur?  
 Non sic lancem oneret Libyæ sitientis arena,  
 Circumfusa mari quæque est, quæque abditur intus.  
 Ergo tot esse malis quæ par constantia possit?  
 Quando in corde mihi tantus dolor æstuat imo,  
 Exundatque furens, quid mirum, questus in ore  
 Si mihi non modicus, mihi si non impero, compos  
 Ipse mei, possimque loquens aliena videri,  
 Nec constare mihi, qualis forte integer æquâ,  
 Corpore cùmque valens potui quoque mente valere?  
 Corporis est animique arctus per mutua nexus

Usque adeo , subeat commune ut vulnus utriq[ue] ,  
 Quodcumque alterutri vis acrior extera fixit ,  
 Communisque illis aptetur s[ecundu]m medela ,  
 Æger ceu sit homo totus , parte illius ægrâ .  
 Id tamen aversor discors & abominor omne ,  
 Quod dolor infræno malesanum extorserit ori ,  
 Confidámque , à me , sine me , quæ dicta , remitti .  
 Ira suas omnes in me divina sagittas  
 Contorsit , fixæque hærent , & saucius illis  
 Totus inhorresco ; venarum evanuit auras  
 In tenues ipsis liquefactis ossibus humor ,  
 Corporis estque nici compages tota soluta .  
 Præterea me terrores circum undique cingunt ,  
 Pejorumque metus , si quæ pejora supersint ;  
 Vulnus & usque novum , si sit locus ullus , adactum  
 Jam mox in medijs videor sentire medullis ,  
 Nec , licet ex haustæ , cessant illæque timere .  
 Quæ mala mortalis potis est graviora subire ?  
 Quæve pati ? Sed num vobis hæc occino surdis ?  
 Fas fuerit dixisse ; premor quô pondere novi  
 Solus ego , incolumes temerè decernitis ipsis ,  
 Felices se namque gerunt aliena supinos  
 Ad mala , saltem æquo non illa examnie pensant ,  
 Sorte frui lætâ contenti opib[us]que paratis .  
 Sufficiunt ipsis etiam sua commoda brutis ;  
 Cùmque frui præsente licet , non quæritur absens .  
 Nullâ urgente fame , dûmq[ue] herba & suppetit humor ,  
 Non , errans onager deserta per avia rugit ;  
 Nec mugit bos in stabulis , fœno ubere pastus .  
 Sie & homo victu cum divite nemo queratur ,  
 Ac neque cum modico , cum sufficiente paratu ,

Ni rationis egens. At cùm ærumnisque gravatus  
 Innumeris, solo poter quoque felle, cibórumque,  
 Mortéque cum pejora mihi præbentur edenda,  
 Non insulsa modò ( luxus licet omnis habetur  
 Sal expers, victusque illo caret infimus ægrè,  
 Insipidumque potest quis fastidire licenter )  
 Anne reus peragat, si respuit illa palatum,  
 Quæ non extimeat, quæ non & nauseat ullus?  
 Huc usque adversis certè sum casibus actus,  
 Vesci cogar ut his, oculi quæ cernere nuper  
 Horrebant, stomachus quâto hæc minus ipse ferebat  
 Anxius autem dapum delectus in obvia cessit,  
 Séque hæc in pœnam non in solamina vertunt.  
 Ah! tandem optatis liceat mihi quando potiri?  
 Non injusta hæc sunt, non ambitionis, priori  
 Non ut splendori reddar, sortique beatæ;  
 At Deus ut peragat cœpit quâ plectere dextrâ,  
 Incumbatque premens, & pondere conterat omni  
 Quam primum, urgente memet, cupidumq; gravat,  
 Ipsam illamve manum retrahat, quâ parcit amari,  
 Languentem me sustentans, & vivere cogens  
 Invitum. Nil me miserans miserebitur, alto  
 Quocumque acceleret tam lentum vulnere funus.  
 Omnibus à pœnis liber lucrabor & illud  
 Præterea, ne supremis obluctet iniquè  
 Decretis, & ferre Deum quacumque prementem  
 Mole negem. Timeo, ne naufraga puppis ad illum  
 Impingat scopulum, labet integritasque, fidèsque.  
 Nec longè jam meta potest distare malorum.  
 Ulterius quò tendat, habet quid numinis ira?  
 Ulterius vel & ipse pati quid corpore possim

Aut animo , vel diviso , vel robore juncto .  
 Corpore mens languente jacet , sit ab æthere lapsa  
 Illa licet , videatur & huc contendere rursus .  
 Nec nostrum est duro constans è marmore corpus ,  
 Eque adamante , negans telorum grandine tundi .  
 Ipsa etiam percussa gemunt ictumque tremiscunt  
 Tinnula saxa ; queri fragilis cur testa verabor ?  
 Exhausere meas omnes tot vulnera vires :  
 Utque novas fesso eliciam de pectore , frustra  
 Illud concutio ; frustra & mihi quæritur extrà ,  
 Mœrentem quò me veteres solentur amici ,  
 Semianimem recreent , foveant firmentque benigni .  
 Sum desertus ab his , quorum est mihi credita semper  
 Firma futura fides ; vel si videantur adesse ,  
 Adsunt tantum oculis , nostri ut certainis hujus  
 Sint testes , ut , quos belli spectacula pascunt ,  
 Depugnantum avidos iræ , fusique cruoris ;  
 Aut hostili ad sunt animo , quò tristia nostra  
 In crimen vertant , probro cumulentque maligno .  
 Interea caveant hâc de levitate placere  
 Blandirique sibi . Qui perfidiosus amico ,  
 Est simul ille Deo . Qui non miseretur egeni ,  
 Afflictisque solo , vitamque trahentis acerbam ,  
 Tempus erit , quando aversum prædurus habebit  
 Ille Deum , surdasque ejus cùm sentiet aures .  
 Ipsi etiam cognati , & qui mihi sanguine juncti  
 Fratrum habitique loco , quò torrens more , citato  
 Præteriere gradu , nec sunt oculisque morati ,  
 In me vel raptim defixis , nostra videtent  
 Ne mala , & illorum miseratio ne qua subiret .  
 Nonne timent , ne nostra illos aduersa lacestant ,

Illita adhærescant, nostra & contage laborent?  
 Est certè illorum prudentia cæca; pruinæ  
 Qui, rorisve levi metuunt aspergine tingi,  
 Hos nix densa teget, glacie astrictique rigebunt;  
 In præcepsque cadent, qui divertere sinistri,  
 Quòd via difficultis vel visa sit aspera dextris.  
 Tantis per florere illis si fortè licebit,  
 Divinâ cohibente manu quæ tela parabat,  
 Eveniet tamen illa dies, quâ major in illos,  
 Compensansque moram gravitate, exardeat ira  
 Cœlestis, subitoque ut nix, aut cera liquefcant.  
 Undeliberet sese cautos evadere credunt,  
 Perplexas ineundo vias, sectando latebras  
 Lucifugas; sed quâ sese caligine velent?  
 Quâ fugiant, quando in vacuo vestigia ponunt?  
 Est oculata manus divina, est longa, tenaxque,  
 Eliquet hinc nec se diffusâ sepia nube.  
 Nostrorum sunt quos excivit fama malorum  
 E Themâ, sunt quos accersit eque Sabæa;  
 At verò quô consilio? Quâ mente? Videre  
 Me voluere, ac mox puduit vidisse. Quis iste?  
 Dixerunt taciti, quantum est mutatus ab illo,  
 Nuper ad invidiam ex omni qui parte beatus?  
 Horrida nunc sanies tantum est, vivensque cadaver,  
 Exosumque Deo quem fas sit credere, supra  
 Mortales reliquos cui divina incubat ira.  
 Hæc illi, primâ potuique is fronte videri,  
 Hâc etenim fugiat quisnam sub imagine falli?  
 At, contemni illis cùm me sum passus amicè,  
 Æquo animoque pati cùm me videre dolores  
 Tot, tantosque, Deo laudésque rependere, quales

Cum me divitijs & me cumulabat honore  
 Lætitiaque , pedem retro stupere ferentes.  
 Ordine vos , animoque , magis non forsitan æquo,  
 Ad veterem quoque ferre gradum voluistis amicum;  
 At me ut vidistis , pietatem protinus hortor  
 Excepit vestram , timor excepitque pudendus ,  
 Ad vos migraret ne fors mea transfuga , vobis  
 Officiumque istud nimio constaret acerbo.  
 Quam fuerat satius non hoc præstate , manentes  
 Usque domi , vanum haudque viæ subiisse laborem?  
 Eset in his occulta fides dubitata tenebris ;  
 Nunc jubat ad Solis se fractam & prodit inanem.  
 Quis tamē ille timor? Quænam hæc dubitatio? Num  
 Aut petij à vobis , importunusve petitor ( quid  
 Nunc etiam accedo , vestrarum ut forsitan egentem  
 Participem faciatis opum , communia quamvis  
 Hæc bona , amicitiæ juncti qui fœdere censem?  
 Vobis chara hæc sunt ? Non invideōve , morōrve:  
 Integra servetis; meus hinc nihil auferet usus.  
 In mea prædonum subito cùm turba Sabæa  
 Irruit , aut me vis aliunde illata gravavit ,  
 Armis an petij vestris & vindice dextrâ  
 Defendi , vel damna meæ sarcire ruinæ?  
 Hæc ego sum minimis sine questibus omnia passus.  
 At , fateor , sunt quos crudi extortere dolores  
 Corporis atque animi; potuique his , criminis expers ,  
 Indulgere , Deo certè mihi parcere prono ,  
 Humanas supra vires cùm plectere visus.  
 Néve malis credar sic obriguisse , moneri  
 Ut fugiam ; si quæ mihi sunt peccata , docete  
 Ignarum. Tumidi jactatijs plurima tantum

Divinis de judicijs, scelerisque putatis  
 Me modici non esse reum, sed atrocia multa  
 Perpetrasse, premat tantâ qui numinis irâ.  
 At nostri vobis penetralia pectoris ima  
 Explorata patent, suntque usu cognita longo.  
 Quæ mea sunt, carpi metuentia crimina? Certè  
 Vir probus esse sui testis, possit quoque præco,  
 Non ut se laudet, sed se tueatur ut ipsum,  
 Nec famam prodâtve suam, prodâtve salutem.  
 Libertate utar non ambitiosius illâ,  
 Judicioque ausim fidens me subdere vestro.  
 Quid dixi, fecive, probo & quod pugnet honesto?  
 Vellicer ut pravè vobis, & ut increper ultrò,  
 Aptè concinnas jaëtatis in aëra voces;  
 Sed me divinis alium humanisve malignè  
 Non fingent oculis, suntque hæc ludibria ventis.  
 Pupillum veluti, vindex cui nullus adesse  
 Censetur, veterem me conculcastis amicum.  
 Quantoscumque tamen non vos fugiensve, timensve,  
 Erigor adversus, tela excepturus, aperto  
 Pectore, Quæ mores contra vitâmq[ue] parastis  
 Obijcienda meam sum cuncta refellere promptus.  
 Unum oro, ut placidis, utque auribus audiar æquis,  
 Auditisque, mihi regeri non aspera posco,  
 Illa etenim minimè rationum pondera firmant,  
 Diri tantum animos aspergine fellis acerbant;  
 Quâ ratione oleum, non mordax aptat acetum  
 Fomentis sese, mollem insinuatque medelam.  
 Cùmque parata aderit demum sententiâ ferri,  
 Corde ea de recto de justoque exeat ore.  
 Candida certè omnis simplicèque futura loquela

Est nostra, & verax, & fallere nescia. Dicam  
 Deque Deo, deque illius moderamine justa.  
 Mox & in his nostro ruptis ex ore querelis,  
 Erratum sit si quid, erit mora nulla fateri,  
 Inque viam me tradam alacrem promptumq; reduci.  
 Hic siluit Jobus; paulumque moratus, amicos  
 Cum vidit tacitos, rursus sic ora resolvit.



## CAPUT VII.

*Iob humanae vita suaque calamitates varias explicat, nec redditum sibi fore verisimilem ad praesentis vitae felicitatem: petit quoque a Deo liberari a miserijs, admirans Dei erga miserum hominem providentiam.*

<sup>1</sup> **M**ilitia est vita hominis super terram: & sicut dies mercenarij, dies ejus.

<sup>2</sup> Sicut servus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui :

<sup>3</sup> Sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi.

<sup>4</sup> Si dormiero, dicam: Quando consurgam?  
 Et rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus usque ad tenebras.

5 Induta est caro mea putredine: & sordibus  
pulveris cutis mea aruit, & contracta est.

6 Dies mei velocius transierunt quam a te-  
xente tela succiditur, & consumpti sunt abs-  
que ulla spe.

7 Memento quia ventus est vita mea, &  
non revertetur oculus meus ut videat bona.

8 Nec aspiciet me visus hominis: oculi tui  
in me, & non subsistam.

9 Sicut consumitur nubes, & per transit:  
sic qui descenderit ad inferos, non ascendet.

10 Nec revertetur ultra in domum suam,  
neque cognoscet eum amplius locus ejus.

11 Quapropter & ego non parcam ori meo,  
loquar in tribulatione spiritus mei: confa-  
bulabor cum amaritudine animae meae.

12 Numquid mare ego sum, aut cetus, quia  
circumdedisti me carcere?

13 Si dixero: consolabitur me lectulus  
meus: & relevabor loquens tecum in stra-  
to meo:

14 Terrebis me per somnia, & per visiones  
horrore concuties.

15 Quam ob rem elegit suspendium anima  
mea, & mortem ossa mea.

16 Desperavi, nequaquam ultra jam vivam:  
parce mihi, nihil enim sunt dies mei.

17 Quid est homo, quia magnificas cum?

aut quid apponis erga eum cor tuum?

18 Visitas eum diluculo, & subito probas illum:

19 Usque quo non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam salivam meam?

20 Peccavi: quid faciam tibi, ô custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi metipsi gravis?

21 Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce, nunc in pulvere dormiam: & si manè me quæsieris, non subsistam.

### PARAPHRASIS.

 Imitat omnis homo, bellum est vita illius omnis,  
 Aut sese aut alios contra. Si deficit hostis Externus, singit sibi quilibet intus, habetve Congenitos; nam mens semper cum corpore certat, Ipsa etiam secum, & quavis sibi dissidet horâ. Agmen præterea circumfilit omne malorum; Nec mentitur homo minus ullo tempore vitæ. Quâm maternâ illam cùm flens orditur ab alvo. Rideat ille etenim licet ex animantibus unus, Unus item plorat; simul aut plorare videntur Si qua, est largè homini lacrymas effundere soli Innatum, rivi & jugibus ora sinuisque

Undare , ac veluti lacrymarum in flumina solvi ;  
 Quare & læta magis felixque est fellea vita.  
**A**t mea præ reliquis quia facta miserrima , vitas  
 Et vexat quodcumque alias hanc pugnat in unam ,  
**Q**uid mirum , illius subeunt si tædia , finem  
 Illiusque oro , finem pariterque dolorum ?  
**A**c certè , quām conducti mercede , futura  
**C**ur mea conditio pejor ? Námque ille levamen  
 Expe&tat duri serâ sub nocte laboris ;  
 Interdum , & medios cum sol accenderit æstus ,  
 Frigora captare & dulces permittitur umbras ;  
 Est verò cùm summa operi manus addita , tandem  
 Sudorem abstergens , pretio potiturque quiete.  
 Non secus optarem vitâ ipse quiescere functus ,  
 Utque iter emensus salebrosum & sentibus horrens ,  
 Difficilis metam cursus tetigisse supremam .  
**A**t , suevit quod ferre malis medicamina cunctis  
 Affert nulla meis frustra variabile tempus ;  
**A**tque dies , menses , & demum absolvitur annus  
 Nequidquam ; crescunt , nedium minuntur amara .  
**N**octe ineunte , queror noctis mala nostra tenebris  
 Ingeminare , novus nam me circumvolat horror ,  
**A**movet éque oculis , si quæ haud ingrata videri ,  
**A** poenis & si qua valent avertere mentem  
 Vel minimūm , queror hōcque mihi solamen abesse .  
 Expectata diem cùm verò Aurora reduxit ,  
**I**lla reiecta gemo quæ nox invisa tegebat ,  
 Et cunctis doleo miserum me sensibus esse ,  
 Expers illorum cùm pars erat antè ; videre  
 Me cogor námque informem , fœtore , situque  
 Funereum . Si quis vento defertur , adhæret


**Ulceribus**

Ulceribus pulvis, saniem solidatque fluentem  
 Visu etiam horridius. Si quæ sine labe relictæ  
 Intervalla cutis (toto hæcque in corpore rara)  
 Est concreta, rigens, est assaque pro cute pellis.  
 Præteriere dies lætæ viridisque juventæ,  
 Ac mox ætatis quoque præteriere virilis  
 (Quos duco jam namque, dies nec dicere sit fas,  
 Nec vitam vitalem istam) fugere citatâ  
 Tam rapidaque fugâ, telam ut succidere textor,  
 Staménve haud citius percurrere pectine possit.  
 Ut campum celeri transmittens flamine ventus  
 Arboribus plantisque, simul cum murmure, motum  
 Incutit, elapsus cùmque est immota relinquit  
 Omnia, nulla sui patiens vestigia figi;  
 Sic tenuisque meos animat qui spiritus artus,  
 Cùm dilapsus erit, dicar vixisse, manebit  
 Illiusque nihil, nec lux extincta redibit,  
 Rursum oculos mundi ut species pulcherrima pascat.  
 Non alias cernam, pariter nec cernar ab illis.  
 Ipsi oculique tui, Deus, ô! summe arbitet orbis,  
 Lustrantes à te quæcumque creata, videbunt  
 Non hòc me in numero; nec ero, cui parcere queras,  
 Fortè subire mei si quæ miseratio possit.  
 Impulsa à ventis nubes, aut Sole soluta  
 Auras in tenues, cœlo fit nulla sceno,  
 Nulla redit; sic & tumulo quicumque receptus,  
 Jam non ille domum non hæc possessa reviset,  
 Æternumque vale potuit dixisse recedens.  
 Fas revocare gradum fas estque resurgere nulli.  
 Dum vacat, in questus igitur juvæ ora resolui.  
 Qualicumque illo liceat solamine tangi,

Per gemitūsque dolor sese, suspiria perque  
 Ventilet; hōcne mihi fomentum inviderit ullus?  
 Tūque, Deus supreme, & cui stāt cuncta, cadūntque,  
 Cui me subdo lubens, à me hoc patiare rogari.  
 Nostra maris tumidos æquātne superbia fluctus,  
 Ut mercarque simul frēnati carcere? Monstra  
 Illa marina pari refero num fortè furore,  
 Grandia cete, inhibes vasto que clausa profundo,  
 Ut inersum sic me tumulent vada falsa malorum?  
 Intoleranda die quando sum perpetē passus,  
 Speravi subeunte aliquod si nocte levamen,  
 Insomnem hanc duco, cruciōrque haud secius:ambit  
 Aut si fortè sopor, desuetāque lumina tentat,  
 Vix inijt, quando me dira insomnia terrent,  
 Et me spectra malis obeunt pejora diurnis,  
 Ac letho quocumque meos finire dolores  
 Sollicitor. Quæ mors alijs est pœna, timōrque,  
 Spes est illa mihi, est portus, tutela, salūsque.  
 Et certè veniā possum num dignus haberi,  
 Extremum quodcumque audens, extrema ferendo?  
 Est à te vetitum vitam sibi rollere ne quis  
 Ausit; an elatus longo jam funere peccem,  
 Ejectūsque die, vitæ si triste, nocēnsque  
 Abijciam teliuum, lucis miserabile munus  
 Occiduæ, mortis jamque in caligine mersæ?  
 Ecquis ego? Et quare tanti pulvisque, cinisque  
 Sum tibi, ut ostendas vires animosus, & in me  
 Experiare tuas, ut me tua provocet ira,  
 Descendasque, velut decertaturus, arenam  
 In medium nudo mecum reptantēque verme?  
 Cur est ulla mei ratio tibi? Cūrque videri

Possum aliquid , vitam estque meam tibi cura tueri,  
 Innumeris illam donec cruciatibus angis ?  
 Heu ! primum me ne in nihilum non posse reverti ?  
 A primâ exerces me luce , probasque ferendis  
 Simne tot ærumnis. Lætis quoque nuper in ipsis  
 Scrutabare , esset quæ mens ? elatior anne ,  
 Liberiörque , reus parte ex utralibet esse  
 Ne sic effugerem , plectique utcumque merceret ?  
 Non possum non esse reus , si me usque severis  
 Inspicies oculis , si meque cueberis æquis ,  
 His etenim purus quisnam sistatur & insous ?  
 Ast illos in me tandem converte benignos ,  
 Respirare & me poenis patiare remissis ,  
 Pulmonein deglutitâ rorare salivâ  
 Tant illum , quando illius vel flumina possit  
 Absorbere imum volvens incendia pectus.  
 Sidat ut ira , reum si quæris habere fatentem ,  
 Ecce reum totâ fateor me mente ; quid ultra  
 Tam tua prona alijs à me clementia poscat ,  
 Ac , sine te , præstare aliud quid homuncio possim  
 Vilis & abjectus ? Sit sat voluisse , remitte  
 Quod nequeo , fragilemque tuo me robore firma  
 O hominum sator & rector ; nec me tibi siste  
 Adversum , aut in quem tua vibres omnia tela  
 Centimanus , talem credi nam te mihi par sit ,  
 Sic me cotninet sic undique sentio figi.  
 Qui tibi displiceam possum mihi fortè placere ?  
 Sum gravis ipse mihi , sum factus & ipsemet hostis ,  
 Ex quo me vis esse tibi , licet usque repugnet ,  
 Præpoperémque mori . Votorum meta meorum  
 Nec certè procul ista potest , ni fallor , abesse .

Præfert signa tuæ nostri pars quælibet iræ;  
 Sana est nulla, hausit totum plaga unica corpus.  
 At bonus ipse æquè qui diceris esse potensque,  
 Cur noxas delere negas, mitissime, nostras,  
 Atque auferre à me tibi quæ minus apta probari?  
 Sit mora nulla; hodie nam ni sis parcere promptus,  
 Cui parcas primo frustra cras manè requiras.



## CAPUT VIII.

*Baldad Iobum quasi de impio sermone arguit, & eum ut ad Deum melioremque vitam se convertat hortatur, atque ita fore omnia illi feliciora promittit: explicat etiam quām sit vanā spes hypocitarum, asserens Deum bonis bona & malis mala tantū tribuere.*

1  Espondens autem Baldad Suhites, dixit:

2 Usque quò loquēris talia, & spiritus multiplex sermones oris tui?

3 Numquid Deus supplantat judicium? aut omnipotens subvertit quod justum est?

4 Etiamsi filij tui peccaverunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ:

5 Tu tamen si diluculo consurrexeris ad

Deum , & omnipotentem fueris deprecatus :

6 Si mundus & rectas incesseris , statim evigilabit ad te , & pacatum reddet habitaculum justitiae tuæ :

7 In tantum , ut si priora tua fuerint parva , & novissima tua multiplicentur nimis.

8 Intetroga enim generationem pristinam , & diligenter investiga patrum memoriam :

9 ( Hesterni quippe sumus , & ignoramus quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram . )

10 Et ipsi docebunt te : loquentur tibi , & de corde suo proferent eloquia.

11 Numquid virere potest scirpus absque humore ? Aut crescere carectum sine aqua ?

12 Cum adhuc sit in flore , nec carpatur manu , ante omnes herbas arescit :

13 Sic viæ omnium , qui obliviscuntur Deum , & spes hypocritæ peribit :

14 Non ei placebit vœcordia sua , & sicut tela aranearum fiducia ejus.

15 Innitetur super domum suam , & non stabit : fulciet eam , & non consurget ?

16 Humectus videtur antequam veniat Sol , & in ortu suo germen ejus egredietur.

17 Super acervum petrarum radices ejus densabuntur , & inter lapides commorabitur.

18 Si absorberit cum de loco suo , ne-

gabit eum , & dicet : Non novi te.

19 Hæc est enim lætitia viæ ejus , ut rursum de terra alij germinentur.

10 Deus non proijciet simplicem , nec porriget manum malignis.

12 Donec impleatur risu os tuum , & labia tua jubilo.

22 Qui oderunt te , induentur confusione : & tabernaculum impiorum non subsistet.



## PARAPHRASIS.

**A**EC ubi dicta , satis credebat Jobus  
amicis  
Se fecisse suis , monitis finemque mo-  
lestis  
Imposuisse , sibi tandem sequere esse re-  
lictum ,  
Ut solaretur semet , solamine cassus  
Omni alio , laxans privatis ora querelis.  
Jämque importunis vultum avertebat ab illis ;  
Cùm Baldad , partem audierat qui lentus utramque ,  
Arbiter & poterat justusve accedere judex ,  
Insuper insontem dictis oneravit acerbis.

Hæc , inquit , nobis quò deblateraveris usque ?  
Ecquis inepta , & tam ratione carentia verba  
Leniter excipiat , mollésye quis applicet aures ?  
Contemptus monitorum eccui tuus ille ferendus ,

Tam pugnâxque animus, támque obfirmatus iniquè?  
 Profluvio certas sermonis, & impete solo,  
 Ac mirum, quanto devoluis pondere nugas,  
 Quæ linguæ exhausto superant in corpore vires.  
 Consilij sed vis expers ruit illa, tuique,  
 Turbinis in morem, vanescit spiritus oris.  
 At volo te paucis contrâ, modicôque labore  
 Evincetur agi non tecum vindice dextrâ  
 Injustè, nec te, præter tibi debita, plecti.  
 An Deus, est ejus quia summa potentia, justus  
 Hinc velit esse minùs, suprema in sede locati  
 Ut fuerunt plerumque homines, quibus una potestas  
 Arbitriûmque est lex, juris mensura, modûsque?  
 Non odium, non ira illum, non gratia vincit,  
 Qui nullius eget, qui nullum ambitve, timetve.  
 Pravi & judicij qui vindex, normaque recti est,  
 Devius anne ille à recto deflectet & æquo,  
 Gaudebitque premens justū, incumbētque malignè?  
 Monstri habet ille vicem, qui talia corde vel imo  
 Senserit, effræno nedum qui prompserit ore.  
 Si nati periere tui, pœnæ illice culpâ  
 Non caruisse illos sit certum credere, quamvis  
 Publica non fuerit; fortè hanc quoque noveris ipse,  
 Labe nec absque tuâ (quid námque hîc cura paterna  
 Insens prætereat, quid possit eámque latere  
 Criminis expertem?) sed dissimulásque, pudétque  
 Esse hinc téque reum. Qui perspicit omnia, novit,  
 Idque satis. Veniæ nunc his locus omnis ademptus,  
 Namque est post mortem sperandi nulla facultas,  
 Nulla precandi, aut quid votis precibuique merendi,  
 Verùm est vivo in te, certus sumque ipsem et autor,

Sum sponsörque , Deum si mente precabere purā,  
 Et quibus es pœnam meritus si crimina purges ,  
 Rite dolens admissa , negans iteranda , fidemque  
 Indubiam faciens , ævo præstansque sequenti ;  
 Stertere quem credis , vigilem lætabere factum ,  
 Obvium & esse tibi , nedum aversetur adiri ;  
 Quemque putas surdum , pronas ultro offeret aures ,  
 Nec mala te solūm jubeo sperare levanda ,  
**A**t vitæ sine nube diem promitto serenæ  
**C**ontinuam : tua & anté domus si splendida , tūque  
 Dives , honoratus , proliſ florente coronā  
 Stipatus , læta affluxit si copia quævis ,  
 Te majora manent , te splendidiora sequentur .  
 Aut , tibi si credar minus autor idoneus , hæcque  
 Inconsultè à me dici temeréque videntur ,  
 ( Nec certè pleno ipse fidem mihi jure reposco ,  
 Hæsternā vix namque die mihi vivere cœptum ,  
 Et vitæ reliquum fugiet , velut umbra , brevisque  
 Casibus humanis non hæc satis hora probandis ,  
 Nec repetita diu nos experientia firmat )  
 Ipsos majorum cineres scrutare sepultos ,  
 Perlustra annales , monumenta antiqua revolve ,  
 Invenies scelerum pœnam expendisse nocentes ,  
 Nec longūm miseros jacuisse in pulvere justos .  
 Nonne vides , humente solo feliciter ille  
 Ut crescit scirpus ? Viridans uliginis almæ  
 Munere luxuriat ; languescit protinus idem  
 Deficiente illâ ; sic carex , sicque papyrus ,  
 Et quam multæ aliæ crescunt sine fructibus herbae .  
 Illas destituit cùm primūm vividus humor ,  
 Et primæ , & nondum decerp̄tis floribus , arent .

Haud

Haud aliter, quemcumque Dei favor alius adultum  
 Deserit, antè illi cedeant omnia quamvis  
 Ad nutum, velut in siccâ marcescit arenâ :  
 Quique homines visus fuerat modò fallere, justi  
 Fictâ sub specie, Deus illius intima lustrans  
 Admotâ reteget larvatum lampade vultum,  
 Tamque operosum illud simulamen, & arte paratum  
 Tam solerte, imitans quos texit aranea casas,  
 Sordidulam longo ut cæptet molimine muscam,  
 Sed quos vel difflat ventus, vel scopula verrit.  
 Ejus in abruptum stabilis sors visa teretur,  
 Nec refugæ clavum ille rotæ quem figat habebit.  
 Donec credit opes, alieno sanguine partas  
 Et sudore, domum, contra insilientia quævis  
 Obsfirmare suam, sidens domus illa repente  
 Obruert unâ ipsum, simul & sua quæque, tonante  
 Horrendum à Cœlo, cum divina ingravet ira.  
 Ille etiam plantæ est similis, quæ manè virescit  
 Rore insperia levi, sed quod radicibus ægræ  
 Saxo suscepta solo non hæserit altis,  
 Exarsit medio cum Sol altissimus axe  
 Imis à fibris humorem hunc ebitit omnem  
 Igneus, arescit tota illa, soloque jacentem  
 Deformemque terit pedibus calcatque viator,  
 Ut quam terra suum neget ipsa agnoscere germen.  
 Hic pravi est finis, Terræ abradatur ut exors  
 A facie, cedatque locum melioribus aptum  
 Seminibus, fructus spinis succedat opimus.  
 Se Deus in fontes talem cum præbuit, esse  
 Gaudet in innocuos aliis; justisque, piisque  
 Fautor semper adest, alarum hos protegit umbra;

Ac semper mihi fixum animo sedetque, sedetque  
 Nunc etiam, non posse hominem sibi credere justi  
 Et sancti quid inesse, Deo componere si se  
 Audeat; injustum sola haec jam audacia fecit.  
 Nec, si mille illi culpæ obijciantur, ab unâ  
 Expediet sese. Nec summa potentia tantum,  
 Est etiam sed summa Deo sapientia, cordis  
 Abstrusa humani penetrans, mentisque recessus,  
 Sole fugante illo cæcas quascumque tenebras.  
 Parte aliâ, si fulmineum quis provocet illum,  
 Hoc sperare potest ullam à certamine pacem?  
 Aut sese opponat si quis, feliciter illi  
 An quidquam eveniet? Retro nonne omnia cedent?  
 Ille est, aërios nullo conamine montes  
 Qui quatit, illorum valles implètque ruinâ,  
 Utve placet celsis illas quoque montibus æquat.  
 Tamque cito peragit rapidoque haec ludicra motu,  
 Sentiat ut nemo tentari, at facta videntes  
 Obstupeant, quos vultque premi sub pondere condat  
 Præcipiti, vivos tumulet nil tale timentes.  
 Hic est ille, movens Terram, motu haud tamen illo  
 Fictio, Solem circa quô Terra putatur  
 Continuò veluti fornacis ab igne rotari  
 Illustranda, quod & sensus non percipit ullus,  
 Nec ratio evincit, sed quod mens somniet ægra.  
 Hunc loquor, innixam stabili fundamine terram  
 Libratamque suo qui pondere concutit exlex;  
 Unde tremunt ipsæque suis cum civibus urbes,  
 Interdumque vorax illas absorbet hiatus.  
 Causam in Naturâ studeat qui querere, ludet  
 Ille operam, mendax erit omnis opinio, motor

Ni superus motū dignoscitur illius autor,  
 Cūm terrere homines, cūm vultque reposcere pœnas.  
 Ac si tunc pravos unā ille probosque ruinā  
 Involuat, ne credatur non æqua subesse  
 Causa, latens quamvis. Satis est, cuiuslibet autor  
 Sit Deus ut facti; justum subit inde fateri.  
 Non ille humanæ se menti angustior aptat,  
 Aut velit ad captum sua jura recidere nostrum:  
 Hic cūm namque probum pravo confundit, eumdem  
 Quō secernat habet, lætis quō penset amara.  
 Nec solū ad montes, totam terrāque movendam  
 Ad molem, illius mira est & summa potestas,  
 Major at in Cœli prodit spectanda Theatro,  
 Dans adimēnsque diem, Solem retegensque tegensq;  
 Ad nutum, stellas patiter virésque recludens  
 Illarum, & claudens, velut obsignansque sigillo.  
 Ægyptus triduanā hoc in caligine nuper  
 Est experta, negans populum dimittere sanctum;  
 Experiuntur & hi, cœlum quibus eripit atta  
 Tempestas, ut contingit terrāque, marique,  
 Ex alto delapsa, suo non tempore, quando  
 Nox ruit, atque diem furvis amplectitur alis.  
 Ille, Tabernaculum veluti castrense, profundum  
 Extendit Cœlum, Cœli explicuitque coruscum  
 Militiam, stellarum aciem campō amplius in illo  
 Immenso instruxit, numerōque æquavit arenæ.  
 Præcipuas Arcturum, Hyadas selegit, aquosum  
 Oriona, & nobis quæ sublabuntur, ad Austrum  
 Astra remota, quibus, cūm vult, misceret ab imo  
 Oceanum fundo, tempestatesque cieret,  
 Ipsam turbinibus terram quateretque procellis,

Criminibus quando cœlestem provocat iram,  
 Experta est ut jam , cùm tota sub æquere mersa.  
 Ast eadem nutu moderatur ; & excita ponunt  
 Ejus ad arbitrū resolutas flamina vires.  
 Nec tantū frænare potens est æquoris undas ,  
 Ast illas etiam pedibus calcare tumentes.  
 Demum tot patrat tanta & miracula , nullâ  
 Ut valeant à mente capi , laudentur ab ore  
 Et satis à nullo , nec si deprædicet illa  
 Humanum simul omne genus , mentésque supernæ.  
 Jam , sine materiâ , quia purus spiritus arcet  
 Et cerni & tangi , quibus illi viribüs obstem ?  
 Quâve arte illius declinem vulnera , cuius  
 Accessum nequeo , nequeo sentire recessum ?  
 Ut sit ubique , locum varius non mutat ; abesse  
 Sique alicunde velit , satis est absistat ut inde  
 Illius virtus , mox ille videbitur absens ,  
 Dum tamen est illuc nullo non tempore præsens.  
 Si mecum rationem ineat subitaneus ultor ,  
 Quid respondebo ? Si mox sententia fertur ,  
 Si damnor , nullum est possim quod adire Tribunal  
 Celsius , h̄c iterum disceptaturus ; eritque  
 Nec vindex aliquis , rationem quique reposcat.  
 O Deus , armatur quando tua fulmine dextra ,  
 Cūmque reos delere paras , opponere quis se  
 Audeat ? Ipsæ illæ , quibus est sub numine , mundi  
 Cura tuo , Angelicæ mentes curvantur ad iræ  
 Signa tremenda tuæ , nedum qui tradita terræ  
 Fræna tenent Reges , stipante satellite quamvis  
 In numero . Posse ipse putem me sistere contra ?  
 Ecquis ego , quantisque , oculos qui tollere , quique

Hisce


Hiscere tantum ausim, minimo quoque murmure  
 A me certe aberit longè hæc audacia semper. (solui?)  
 Quin etiam sceleris si purus & integer ipsi  
 Sim mihi, vel possim mihi si sine labo videri,  
 Cura magis precibus quam sit rationibus uti;  
 Auditus nec si videar sit credere tutum,  
 Ancipitique in spe semper dubiâque manebo;  
 Est namque integritas humanæ quantula vitæ,  
 Aut potius coram tanto quam judice nulla?  
 Quid yetat, indicâ causâ quin plectat acerbè,  
 Pœnarum involuat me turbine, conterat irâ,  
 Tot mea jamque novis cumulet quin vulnera plagis,  
 Culpâ pro minimâ, mihi quæve levissima visa,  
 Vel cuius non ipse mihi sim conscius? Æquus  
 His erit in pœnis tamen ille & justus habendus.  
 Nec nunc esse alium fateor, cum prorsus adempta  
 Corporis est animique quies, potantur amaro  
 Sensus felle omnes, nihil in me est denique sani.  
 Vi quid forsan agam? Longè est fortissimus ille;  
 Juréque si certem, testis neget omnis adesse,  
 Nec me flexanimâ defendetit arte Patronus.  
 Ac, cum Patroni mihi, cum testesque faventes  
 Deficiant, pro me ipse loqui si balbulus ausim,  
 Esse verecundus credar minus, atque pudoris  
 Exhausti, coram tanto qui judice jactem  
 Ipsum me insontem, & proprio commender ab ore;  
 Ignotisque mihi culpas, vel atrocia forsan  
 Crimina, nulla oculis vel visa levissima nostris  
 Obijciet Deus, & subiget damnanda fateri.  
 Esse igitur vitæ non possum conscius actæ  
 Innocuè, diros & sic mulcere dolores.

Insontem solumve Deus me despicit unus,  
 Illi sum soli planè intus & in cœte notus,  
 Unde extrema meæ subeunt me tædia vitæ.  
 At verò est unum mihi non dubitabile notum;  
 In me posse Deum nec non in quemlibet uti  
 Summo jure suo, pravum hīc plectendo, probumque  
 Ut lubet, at vitæ sint ut diversa secundæ,  
 Nec sit sorte pari finis speranda malorum,  
 Illorumque, quibus vita est innoxia ducta.  
 Humanè tamen hoc, nec fortè injurius, optem;  
 Si velit hīc justum torquere, diutiùs illum  
 Ne premat incumbens, letho sed proterat uno,  
 Non quot, per pœnas horæ & momenta trahuntur;  
 Sic, patiens dat namque malis Iudibria justus.  
 Non desunt hi nempe mali, ridere parati,  
 In dubiumque Dei curam regiménque vocantes.  
 Nec vili tantum sunt hi de plebe, sed ipsi  
 Tradita sæpe quibus terræ sunt fræna regendæ,  
 Et qui judicijs illorum nomine præsunt,  
 Avérſisque oculis in justis impia causis  
 Decernunt. Cūmque una Dei det dextra coronas  
 Dignis, indignis, justis, pariterque Tyrannis,  
 Connivere malis an non videatur & ipse?  
 Connivet certè, sed nos ratione latente,  
 Judicio sempérque utens in quoslibet æquo,  
 Seris tandem oculis quod lux suprema revelet.  
 Interea lapsu celerantes præpete nostri  
 Præteriere dies, ceu qui fert prospera cursor,  
 Nec vitæ libare hujus sunt dulcia passi;  
 Et quæ pura magis nullique obnoxia culpæ  
 Vix sunt illa mihi primoribus illita labris.

Effugere, velut remis velisque citata,  
 Poma ferens matura ratis, putrescere jámque  
 Proxima, vendendi properè nisi copia fiat.  
 Nec secus ac pisces longè semota marinos  
 Ad loca qui vectat, simili certaque timore,  
 Nocte diéque cito solitus contendere cursu,  
 Tabentes mora ne merces exponere cogat,  
 Emptore & nullo, luci spes cedat inanis.  
 Ac neque venatrix volucrum Regina, rapinam  
 Quantacumque famis rabie celerante, per auras  
 Ad prædam passis tam concita devolat alis.  
 Est animus quandoque ore obmutescere presso,  
 In medijsque malis imo suspiria corde  
 Et gemitus inhibere; loquax sed prodere vultus  
 Non cessat, condi quæcumque in pectore certant.  
 Ergo tacere mihi cum tam sit inutile, tamque  
 Sit grave, dura, Deus, patiare silentia rumpi,  
 Téque apud, ac de te, si fas, dignare querentem  
 Audire. Extimui semper te, & nota voluntas  
 Est ubicumque tua, huc alacti contendere cursu  
 Optavi, mora vixque in me damnabitur ulla.  
 Ne reus admisso fierem leviore cavebam,  
 Quām poterā; noram namque haud impune futurū.  
 At, tanto demum studio post illa peracta,  
 A te si damnor, pœnam videórque mereri,  
 Quā scelerata solet, quā gens summè impia plecti;  
 Quò tot suscepti nullā mercede labores,  
 Peccandique timor, justi tamque anxia cura?  
 Tota simul coeat si nix hyberna soluta,  
 Illaque immergam si me, curémque lavari;  
 Intactam candore illam si denique vincam,

Si mundas tendénsque manus sim rite precatus ;  
 Novi oculis non posse tuis sat me inde nitere.  
 Vestibus aut si fortè meis quis sensus inesset ,  
 Non dubito , quin me fugerent , mea tūmque negarēt  
 Membra velut fœtens & putre operire cadaver .  
 Non es tu cum quo ex æquo contendere possim ,  
 Nec tu litis homo pars es nostræ altera : jure  
 Celsus agis summo , & rebus decernis ab alto  
 De nostris , ut cumque placet ; decreta subimus  
 Insontes sōntésque , his se nec subtrahet ullus .  
 Arbiter ha ! mediūsque aliquis num possit adesse ,  
 Liberè agens tecum , qui ( si fas talia fari )  
 Arguat ipsum & te , nimis increpitèque sevetum ,  
 Dextrâ quique suâ nostras in fœdera jungat ?  
 Nullus adest , nec adesse potest , tibi scilicet uni  
 Sistor , eritque salus à te mea pendula semper .  
 Unicus es judex , sisque ô ! sed mitior , oro ;  
 Illaque vel longè tua ferrea virga facessat ,  
 Vel se tanti sp̄ patiatur fessa remitti .  
 Tunc , qui nunc stupeo , nimio terrore solutus ,  
 Audebo dictis tecum certare modestis ,  
 Méque verecundo quō convenit ore tueri .  
 Nunc oculósque ad te timeóque attollere vocem .





## CAPUT X.

*Job suam afflictionem lamentatur , illius causam à Deo inquirens , quam ostendit non fuisse suam malitiam , neque Dei ignorantiam , qui creatum à se hominem exacte novit , rursumque propter pœnarum exuberantiam plangit se natum.*

**T**Æ D E T animam meam vitæ meæ , dimittam adversum me eloquium , loquar in amaritudine animæ meæ .

2 Dicam Deo : Noli me condemnare : indica mihi cur me ita judices .

3 Numquid bonum tibi videtur , si calunieris me , & opprimas me opus manuum tuarum , & consilium impiorum adjuves ?

4 Numquid oculi carnei tibi sunt : aut sicut videt homo , & tu videbis ?

5 Numquid sicut dies hominis dies tui , & anni tui sicut humana sunt tempora .

6 Ut quæras iniquitatem meam , & peccatum meum scruteris ?

7 Et scias quia nihil impium fecerim , cum sit nemo qui de manu tua possit eruere ,

8 Manus tuæ fecerunt me , & plasmaverunt me totum in curcitu , & sic repente præcipitas me ?

9 Memento quæso quod sicut lutum feceris me , & in pulverem reduces me.

10 Nonne sicut lac mulsisti me , sicut caseum me coagulasti ?

11 Pelle & carnis vestisti me : ossibus & nervis compiegisti me :

12 Vitam & misericordiam tribuisti mihi , & visitatio tua custodivit spiritum meum.

13 Licet hæc celes in corde tuo , tamen scio quia universorum memineris.

14 Si peccavi , & ad horam pepercisti mihi cur ab iniuitate mea mundum me esse non pateris ?

15 Et si impius fuero , vœ mihi est : & si iustus , non levabo caput , saturatus afflictione & miseria.

16 Et propter superbiam quasi lænam capies me , reversusque mirabiliter me crucias.

17 Instauras testes tuos contra me , & multiplicas iram tuam adversum me , & poenam militant in me.

18 Quare de vulva eduxisti me ? qui utinam consumptus essem , ne oculus me videret.

19 Fuissem quasi non essem , de utero translatus ad tumulum.

20 Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi , dimitte ergo me , ut plangam paululum dolorem meum :

21 Antequam vadam & non revertar , ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine :

22 Terram miseriæ & tenebrarum , ubi umbra mortis , & nullus ordo , sed sempiternus horror inhabitat.

### PARAPHRASIS.


**S**I C <sup>b</sup>paulum siluit Jobus , sic deinde secutus .  
Credideram jam me finem imposuisse querelis .  
Omnia posse pati tacitumque , animoque quieto ,  
Illud at indomiti corde excussere dolores  
Consilium ; subeunt miseræ nova tædia vitæ ,  
Acre odiuumque mei ; quare & me accendor in unum .  
Hoc tamen , ô mundi rector , patiare rogari ,  
Ut norim quo sim meritus pro crimine plecti .  
Non es tu , quem livor edax delectet , & atrox  
Vipereo rodit quæ dente Calumnia justum .  
Hæc aliena à te , & toto sunt dissipata cœlo ;  
Quin etiamque soles horum esse acerimus ulti .  
Est quoque de nostro tibi nulla dolore voluptas ;

( Tam leni hoc de te quis credat tamenque benigno?)  
 Ac nec opus manuum fastidis ipse tuarum,  
 Ut me deleri gratis cupiasve finasve.  
 Connivere malis tamen in me , illosque juvare  
 Nescio quâ ductus ratione videris , & ultrâ  
 Pondere me premis ipse tuo ; nam perficis unus ,  
 Chaldæis quæ sunt & tantum cœpta Sabæis.  
 His intacta domus , natu intactique fuere ,  
 Salvus & ipse ; tuo pèriere hæc numine cuncta ,  
 Proles rapta , domus deleta , miserrimus ipse  
 Vix spiro , hanc ducens adversa per omnia vitam .  
 Horum & amicorum videaris nonne favere  
 Errori , ut persistent adeo me credere fontem ,  
 Et me , quæ patior , vitâ accersisse scelestâ ?  
 Parte aliâ , nostro quis te sine criminè credat  
 Adversum nobis , iræ indulgere malignæ ,  
 Nostrâque cuncta neget justâ te pendere lance ,  
 Aut falli te posse putet , nec operta tueri ?  
 Non hominum tibi sunt oculi , rerum extera tantum  
 Quique superficiem cernunt ; ipse intima lustras ,  
 Testibus & nec opus nec sit tortore , latentem  
 Ut retegásque reum , damnes , plectásque reiectum .  
 Nec tua , quæ nobis , vita est , nec tempora nocte  
 Et contexta die , sibi succedentibus usque ,  
 Et quâ de serie partem nos quisque minutam  
 Libamus raptim , nil læsâque labitur illa  
 Decerpenda alijs , & damni nescia semper .  
 At sine nocte dies , pura , & sine nube nitescens  
 Est tua , tota simul , fluxu neque labilis ullo ,  
 Æternumque eadem , speculique ut in orbe videnda  
 Præbens , quæ fuerint , sintque , & ventura trahantur ,  
 Unde ,

Unde , nocens an sim , facili sat lumine nosti ,  
 Tamne diu merear torqueri , victima morti  
 Debitus , emeritis jubeárve quiescere pœnis.  
 Sum quoque si reus , immanes cumulare dolores  
 Quid juvat , & nostram sic præcipitare ruinam ?  
 Méne tuæ valeam profugus subducere dextræ ,  
 Fulminibusque tuis ? Méne his vis subtrahat ulla ?  
 Estve , quod appelliem , majus potiusve Tribunal ?  
 Num memor es manuum me figmentū esse tuarum ,  
 Atque suo studiosè operi suevisse favere  
 Quemlibet ? Hoc solo quām te sperare benignum  
 Sub titulo poteram ? Quid non exposcere , quidque  
 Ipso irato à te non exorare licebat ?  
 Ast operámque tuam vis in me & perdere gratis  
 Impensis ; artificem par quemnam incuria cepit ?  
 Eversórve operum quis sic velit esse suorum ?  
 Udo me è limo formasti , pulvere jam mox  
 Mutandum . Hanc à te , presso ut de lacte , figuram  
 Accepi humanam , sūmque hunc indutus amictum .  
 Ossibus & nervis aptè per mutua nexit  
 Me compegisti , carne ossaque , pelléque carnem  
 Vestisti . Taceo divini multa laboris  
 Structa intus , quæ nos voluisti occulta latere ,  
 Sint ipsis licet in nobis , sint pars quoque nostri  
 Intima , at immenso veluti semota recessu ,  
 Namque operantē in se Naturam haud viderit ullus ,  
 Hic conjecturis nituntur at omnia cæsis ,  
 Erudiamur ut his , quām curta scientia rebus  
 Sit nostra in superis , cùm sic se hīc proxima celent .  
 His ita dispositis , est & pro munere summo  
 Indita demum anima , hācque tui sum factus imago

Cura simulque tua , hæc quamvis cessare videtur ,  
 Ærumnis dum me permittis mille premendum :  
 Nec tamen adducor , tuus ille ut pristinus omnis  
 Extinctus credatur amor , sensusque paternus .  
 Non ego diffiteor me quid peccasse , juventæ  
 In fervore , animi cùm non defederat æstus ,  
 Observando in me quamvis haud segnior essem  
 Tum quoque , & à lapsu non tarda resurgere cura .  
 At tot me ex illo cumulasti tempore donis ,  
 Ut me dignatum veniā sim credere pronus .  
 Cur ergo in mentem revocas antiqua? lituris  
 Cur inducta novas , abjectaque tela resumis ?  
 Quo me cumque placet verti , circumstat ubique  
 Turba malorum ingens , locus est nullusque quieti .  
 Culpæ si minimæ potui succumbere præceps ,  
 Protinus ulti ades , subitâ méque obruis irâ .  
 Si mihi fortè omni possum sine labe videri ,  
 Aut tantum levis esse reus , veniamque merentis ,  
 Tum quoque nil à te sperare benignius ausim ,  
 Torqueor hædque minùs , mea nec fiducia major ,  
 Erigat ut se animus , languentia lumina Cœlum  
 Suspiciant , & mole caput leviore prematur .  
 Pœnarum accedit cumulus , quod & audeo si qua  
 Pro me verba loqui , tacitâ quoque voluere mente ,  
 Arguor , infrænis veluti , tumidéque rebellis ,  
 Excipiorque à te , possit quo more leæna  
 Efierat , venator captam quoque quam timet , & quam  
 Retibus inclusam repetitis figere telis  
 Non cessat , dum fusò animam cum sanguine mittat .  
 Atque tuis utinam sic figerer ipse sagittis ,  
 Totque exhalarem miseram per vulnera vitam .

Finis at est nullus. Nam si momenta quietis  
 Indulges, tunc tela acuis, viresque resumis,  
 Aut illas certè possis renovare videri,  
 Sic imo magis atque magis nova vulnera corde  
 Crudescunt, graviore urges me pondere semper.  
 In me cuncta cies. A te est quodcumque creatum  
 Militat omne tibi; testantur méque nocentem  
 Me plecti quicunque vident, testantur amici  
 Hique mei, quô dignoscant me lumine namque  
 Insontem, exosum tibi quem sic credere par sit?  
 Gratis téne mihi factum quis dixerit hostem,  
 Te tam justū, hominis qui tam studiosus, amansque?  
 Proh dolor, ærumnis ut tot tantisque grayandus  
 Servarer, cur sum matris servatus in alvo?  
 Cur inde eductus? cur auras luminis hausí?  
 Primâ interclusus cur non est spiritus horâ,  
 Elatus nec sum, tumulo claususque, videndus  
 Ut nulli, nullum pariter visurus & ipse,  
 Pro non nato habitus, vitæ qui protinus exors?  
 In vitam vel me trudi si fata volebant,  
 Sátque supérque ejus num jam sum potus amaro  
 Quolibet? & finis num tandem proximus instat?  
 O Deus, indulge spatium requiéque dolori  
 Vel minimam, da quô respirem tempore liber;  
 Da Solisque jubar, stellantésque ætheris ignes  
 Omni tantisper spectare dolore solutum,  
 His satiare oculos ( saties hinc si qua subiret )  
 Hisque admirari quam pulcher in omnibus ordo,  
 Ante tenebrarum quām sim detrusus opacam  
 Ad sedem, ad Mortis regionem, ordo est ubi nullus,  
 Solus at æternū regnans cuncta occupat horror



## CAPPUT XI.

*Sophar iniquè afferit Iob propter multa ipsius peccata, quæ recenset, fuisse à Deo percussum, ostendens Deum iucomprehensibilem : resipiscenti tamen Iob felicissima quæque pollicetur.*

1 **R**espondens autem Sophar Naamathites, dixit :

2 Nunquid qui multa loquitur, non & audiet? aut vir verbosus justificabitur?

3 Tibi soli tacebunt homines; & cum cæteros irriseris, à nullo confutaberis?

4 Dixisti enim: Purus est sermo meus, & mundus sum in conspectu tuo.

5 Atque utinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi.

6 Ut ostenderet tibi secreta sapientiæ, & quod multiplex esset lex ejus, & intelligeres quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua.

7 Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies?

8 Excelsior cœlo est, & quid facies? pro-

fundior inferno , & unde cognosces ?

9 Longior terra mensura ejus , & latior mari.

10 Si subverterit omnia , vel in unum coarctaverit , quis contradicet ei ?

11 Ipse enim novit hominum vanitatem , & videns iniquitatem , nonne considerat ?

12 Vir vanus in superbiam erigitur , & tanquam pullum onagri se liberum natum putat.

13 Tu autem firmasti cor tuum , & expandisti ad eum manus tuas.

14 Si iniquitatem , quæ est in manu tua , abstuleris à te : & non manferit in tabernaculo tuo injustitia :

15 Tunc levare poteris faciem tuam absque macula , & eris stabilis , & non timebis.

16 Miseriæ quoque oblivisceris , & quasi aquarum quæ præterierunt recordaberis.

17 Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam : & cum te consumptum putaveris , orieris ut lucifer.

18 Et habebis fiduciam , proposita tibi spe , & defossus securus dormies.

19 Requiesces , & non erit qui te exterreat : & deprecabuntur faciem tuam plurimi.

20 Oculi autem impiorum deficient , &

effugium peribit ab eis , & spes illorum ab  
minatio animæ.

## PARAPHRASIS.


**N**IX ea fatus erat Jobus , cùm talibus  
orsus  
Est Nahamathites spirans haud mollia  
Sophar.  
Utque supercilio dominans & voce  
Magistrâ ,  
Ecquæ firis , ait , tot , Jobe infusa loquendi ?  
Quò nos usque jubes te deblaterante tacere ?  
Profluvio exundans verborum incondita garris  
Deque Deo , deque illius moderamine multa ,  
A te dum certas omneim depellere culpam .  
Vincere quis nequeat se teste & judice litem ?  
Aut quis stare labor contrà oblectamine nullo ?  
Sufficerent quæ jactasti , tibi justus haberi  
Si cuperes uni , aut unum te fallere : nobis  
Si suadere velis , priùs audi , & dilue , sodes ,  
Obijcienda tibi nonnulla , & tela repelle  
Hæc nostra , armatus nugis , rationis inanis .  
Te factum ex misero valeat quis ferre superbum ?  
Téque negas quòd sòntē ecquis sit credere prōptus ?  
Obstruat ósque tibi num quis tam stulta loquenti ?  
Proh pudor ! est quinam summo cùm numine sermo  
Hic tuus ? An veniam dignaris poscere supplex ?  
Tantūm non adoles tibi thus . Vitæ integer , inquis ,

Et sine labe premor : semper sum recta locutus,  
 Nec linguâve fui simulato aut pectore mendax.  
 O utinam , tuus hic quem sermo lacescit , axe  
 Respondere Deus tibi dignaretur ab alto .  
 Nosses , illius quâm sit sapientia longè  
 Hâc major , quâm mente adeo tu concipis arcta ;  
 Et , quâm credideris , legis præcepta pateret  
 Latiùs extendi , majorem exposcere curam ,  
 Servari tota & quovis ut tempore possint.  
 Nosses , in vitâ medium nihil esse , nec anceps  
 In nostris quid rebus agi , clinamine lancis  
 Quod variet nullo ; verum esse bonumve malumve  
 Quidlibet , & legi leviuscula verba subesse ,  
 Quorum sit nobis ratio reddenda ; citari  
 Ipsa etiam meditata , operis nedum omne peracti .  
 Est autem , qui non in lævam qualibet horâ  
 Deslestat ? Vel sæpe die non deviet omni ?  
 Non , probus ille Deo est , nobis quicumque videtur ;  
 Intima namque Deus cernit , nos extima tantum ,  
 Fucari quæ virtutis simulamine sueta .  
 Si qua fides , animoque placet si talia figi ,  
 Te citra meritum tunc ipse fatebere plecti ,  
 Hæcque inculpatæ vanescet opinio vitæ .  
 Justitiæ tibi potuere arcana recludi  
 Intima divinæ ? clarè innotescere causæ  
 Harum quas pateris pœnarium ? cæca viarum  
 Assequerisne Dei , quando penetralia cordis  
 Ima tui subit , & latebras rimatur opacas ?  
 Ejus opus minimū quando captum effugit omnem ,  
 Autoris sanûsne putas tibi cuncta patere ?  
 A Cœlo quâm tu distas , Cœlo altior ille est .

Mente nequis penetrare, oculis nedium, intima terre  
 Viscera; complectens terram terræ intimus idem est.  
**Ergo viâ tibi quâ suprà vel adibitur infrâ?**  
**Ampla est terra;** maris vastè protenditur æquor;  
 Immensis ultra spatiis extenditur ipse,  
 Et nec meta illi, nec terminus hæserit ullus.  
**Sic ambit,** simul ut penetret; sic præsidet orbì,  
 Hunc simul ut portet; sic portat, præses ut extet.  
**Quamque sit immensus,** non illum crede potentem  
 Esse minùs, vel posse aliquem se sistere contra.  
 Si velit antiquum redigi quæcumque creavit  
 In nihilum, primævi aut in cunabula mundi,  
 In deforme chaos confusa elementa redire,  
 Opponat quis se, verbo minimòve repugnet?  
**Ad libitum fingat,** fuerit cui fingere cura,  
 Seq; probum simulet; simulantem & vana tegentem  
 Deprendit nudatque Deus, pœnásque reposcit.  
**Ergo tumescit homo frustra,** frustraque superbit,  
 Pullus ut indomitus, per prata virentia lætis  
 Saltibus exultans, soli qui se sibi natum,  
 Subdendumque putat virgà sine vindice nulli,  
 Et permittendum semper sine lege vagari;  
**Verùm & ab armentis,** pinguique à gramine tandem  
**Cogitur avelli,** sessori subdere dorsum  
 Clitellisve, gravi lumbos quoque fuste dolati,  
 Aut frænum mordendo fodi calcaribus armos.  
**At te, Jobe,** tuis nondum resipiscere pœnis  
 Miror, & insontem tibi te sic usque videri,  
 Ad Cœlumque manus audentem tollere, donec  
 Ille obfirmatum semper te detinet error.  
**Mutatā si mente doles admissa,** fateris

Téque reum , fixumque sedet non rursus eosdem  
 Impingi in scopulos atque in damnata resolvi ,  
 Tunc poteris veniam supplex orare , manusque  
 Ad cœlum fidens tendes cum voce supinas ,  
 Riteque convertes erectum ad sydera vultum ,  
 Nullâ ubi labe , Dei primæva resurgat imago .  
 Tum nullas subeunte vices potiere quiete ;  
 Quæque es perpetuus , quæ nunc paterisque , ferentur  
 Instar torrentis , pluvijs hyemalibus aucti ,  
 Et sudo qui mox arescit tempore , quemque ,  
 Fugit ubi ex oculis , è mente oblivia delent .  
 Quod poterit vitæ reliquum superesse , serenum  
 Hoc tibi ducetur ; qualis , cum plurimus orbe  
 Sol fulget mediò , & minimas rerum efficit umbras .  
 Vitæ lœta tuæ sic lux sine nube resurget .  
 Vana fides numquam nec spes tua cassa futura .  
 Campoque in nudo , & quavis ex parte patente ,  
 Circumducta ut si te fossa aut cingat ahenus  
 Te murus , dabitur securos carpere somnos ,  
 Nec minus in tuto tua cernes cuncta locari .  
 Te qui nunc spernunt , miserisque illudere certant  
 Qui tibi , te cultu venerantes supplice , proni  
 Accedunt , cupient de te bene posse mereri ,  
 Atque à te ditati adeo nunc rebus egente  
 Omnibus . Amplè utens vice tu lœtabere versâ ,  
 Pro nocisque , illis gaudēbis amica rependens ,  
 Nec soli factum tibi te patiere beatum .  
 Hæc sperare potes , modò sit resipistere cura .  
 Sin aliter , sortem , pravus quam quisque , subibis .  
 Nimitum nequidquam oculos ad sydera tollunt ,  
 Implorant & openi , palmas tenduntque , sed æquus

Ilorum precibus surdas Deus obstruit aures,  
Nec finem ærumnis ullam indulgetve quietem.



## CAPUT XII.

*Job, ut amicorum confundat jactantiam , afferit  
neminem ignorare Dei potentiam ac sapien-  
tiam ex creaturarum gubernatione , quarum  
status pro suo variat arbitrio.*

**R** 1 Espondens autem Job , dixit  
2 Ergo vos estis soli homines,  
& vobiscum morietur sapien-  
tia ?

3. Et mihi est cor, sicut & vobis , nec infe-  
rior vestri sum : quis enim hæc , quæ nostis,  
ignorat ?

4 Qui deridetur ab amico suo sicut ego,  
invocabit Deum & exaudiet eum : deridetur  
enim justi simplicitas.

5 Lampas contempta apud cogitationes  
divitium , parata ad tempus statutum.

6 Abundant tabernacula prædonum, &  
audacter provocant Deum , cum ipse dederit  
omnia in manus eorum.

7 Nimirum interroga jumenta , & doce-

bunt te : & volatilia cæli , & indicabunt tibi.

8 Loquere terræ , & respondebit tibi : & narrabunt pisces maris.

9 Quis ignorat , quòd omnia hæc manus Domini fecerit ?

10 In cuius manu anima omnis viventis , & spiritus universæ carnis hominis ,

11 Nonne auris verba dijudicat , & fauces comedentis , saporem ?

12 In antiquis est sapientia , & in multo tempore prudentia,

13 Apud ipsum est sapientia , & fortitudo , ipse habet consilium & intelligentiam.

14 Si destruxerit , nemo est qui ædificet : si incluserit hominem , nullus est qui aperiat.

15 Si continuerit aquas , omnia siccabuntur : & si emiserit eas , subvertent terram.

16 Apud ipsum est fortitudo & sapientia : ipse novit & decipientem , & eum qui decipiatur.

17 Adducit consiliarios in stultum finem ; & judices in stuporem.

18 Balteum regum dissolvit , & præcingit fune renes eorum.

19 Dicit sacerdotes inglorios , & optimates supplantat :

20 Commutans labium veracium , & do-

N<sup>o</sup> 2



Etrinam senum auferens.

21 Effundit despectionem super principes,  
eos , qui oppressi fuerant , relevans.

22 Qui revelat profunda de tenebris , &  
producit in lucem umbram mortis.

23 Qui multiplicat gentes & perdit eas,  
& subversas in integrum restituit.

24 Qui immutat cor principum populi  
terræ , & decipit eos ut frustra incedant per  
invium :

25 Palpabunt quasi in tenebris , & non in  
luce , & errare eos faciet quasi ebrios.



## PARAPHRASIS.



IDIT ubi tam se malè notum Jo-  
bus amicis  
Implacidis , sotémque illis se semper  
haberi  
Occulti sceleris , superam quod con-  
citet iram ;

Prodere , nec voluit semet damnare silendo ,  
Asperior solito visus quoque factus in illos .

His igitur dictis subfervidus ora resolvit

Ut video , solos homines vos creditis esse  
Cum ratione satos , nos bruta animalia , prorsus  
Terrea , cum Cœlo quibus est cognatio nulla .

Uno vobiscum partu sapientia nata  
 Creditur, occafu moritura videtur eodem.  
 Mentibus illa sedet, ni fallor, opinio vestris.  
 At de divinis recte sentire, simûlque  
 Non indigna loqui forsitan quoque novimus ipsis;  
 Ac pueri vestris (absistite vana tumere)  
 Balbutire sciunt non inferiora loqueli.  
 Novi ludibrio vobis me rebus haberî  
 In miseris, novi vobis méque esse pudori  
 Aut horroci etiam. Qui nunc adeantur amici?  
 Tempore quive alij mihi concilientur iniquo,  
 Cùm defecistis lètâ vos forte parati?  
 Prava, in felici de me, afflictóque, malignè  
 Sentitis, scelerisque reum me creditis esse  
 Ignoti; cur tam præceps sententiâ fertur  
 De re non notâ? Saltem dubitare licebat,  
 Judiciúmque inhibere, meam sine crimine vitam  
 Cùm sit nosse datum, vel non pravè arguar aetæ  
 Huc usque, & possim vobis quoque testibus uti.  
 Attamen, à me animos postquam avertistis, habeo  
 Ad quem confugiam. Nostri Deus intima novit,  
 Illius inque fidem mihi justitiâmque receptus  
 Tutus erit semperque patens. Nec pronus adiri  
 Est tantum, infidos sed & idem ulturus amicos.  
 A pravis, pacatum ipsis quia dicitur æuum,  
 Extincta ut lampas ventorum à flamine, tempus  
 Ad definitum fuerat quæ lucida, temnōr,  
 Inque mei contemptu illos mea firmat egestas,  
 Indemnes cunctis ipsis dum rebus abundant.  
 Nec certe invideo. cunctis, licet, hisce fruantur  
 Ad libitum; cumulent miserorum è strage rapinas,

Indicantque Deo bellum, Cœlumque lassant  
 Impietate, illis quæ divinam aggeret iram,  
 Et vocet indubiam superâ de sede ruinam.  
 Quas nequeant pœnas propter malè parta timere?  
 Quando etiam, juste si quis ditescit, avitas  
 Vel sortitus opes, proprio quærensve labore,  
 Peccat at ille tamen, si parta adjudicet arti  
 Ingenioque suo, fato sortive benignæ,  
 Aut alij si cui? Deus est qui dicat egenum,  
 Et nihil hîc hominum solers industria confert,  
 Ni Deus auxilio velit esse ac proximus autor.  
 Qui dubitas, jumenta, boves, animalia quævis  
 Consule, quæ possunt ratione carentia dici,  
 Ipsos & pisces, tibi qui muto ore loquentes  
 Dicent esse Dei donum quocumque fruuntur,  
 Esse fatebuntur divino & munere sese,  
 Esse illius opus: volitansque per aëra cantu  
 Illud idem celebrabit avis. Quin omnia dicent  
 Sese nata homini servire; nec ipsa negabit  
 Terra, parens frugum, gremio quas ubere fundit.  
 Scilicet humanos Deus hanc fœcundat in usus,  
 Et dextrâ fructus, quâ fulmina, mittit eadem.  
 Ergo ob divitias quis jure superbiat illas,  
 Utve suas reputet, nec cœlo ascribat amico?  
 Nonne Dei dat eisque manus, cùm vita sit ipsa  
 Illius donum? cùm, spirat quidquid in orbe  
 Hinc animam trahat, & quidquid sentitque vigetq;  
 Hæc animæ virtus in sensus diditur omnes;  
 Verba sonosque autis dijudicat, estque palato  
 Et linguæ varios vis explorare sapores.  
 Sic sensusque alij spatia in sua quisque recedunt,


Privatimque suo contendunt imunere fungi,  
 Et mens è folio cunctis dat jura supremo.  
 At major capit is si sit reverentia cani,  
 Pluráque si didicit plures qui vixerit annos,  
 Quid , qui principio caruit , cariturus & omni  
 Est qui fine Deus? Quid cum latuitve , latétve?  
 Num videt & sæclis longè eventura futuris ,  
 Prævisa ad certum nec dirigit omnia finem?  
 Nec, quām sit sapiens , fortis ininūs ille poténsque.  
 Jure regit summo è nihilo quæcumque creavit;  
 Cùm volet , hæc eadem rediget solo quoque nutu  
 In nihilum , nedum celsas everterit urbes ,  
 Æquaritque solo ferientes sydera moles ,  
 Ut quærentum oculis vestigia nulla supersint ,  
 Si superéntve , manus non excitet ulla ruinas.  
 Obscuris si quem tenebris & carcere damnat ,  
 Non illum conjurati vis eruat orbis.  
 Si cœli occludit convexa , rigantia terram ,  
 Suspensaque tenet nubes , inhibetque liquores  
 Frugiferos , quos & fontes & flumina fundunt ,  
 Mox sicut herbæ , tellusque arescit hiulca ,  
 Non rivos umbrent salices , non robora montes ,  
 Possit ut ipsa simul moriens Natura videri.  
 Si contrà immensis velit imbribus æthera rumpi ,  
 Flumina si jubeat pontumque evincere moles ,  
 Artis opus , vel Naturæ quæ lege sedebant  
 Oppositæ , victrix tunc littora nesciet unda  
 Ulla pati , & Cœli vix sat convexa recedent.  
 Obstantem verò divina Potentia novit  
 Ut nullum , sic nec Sapientia ; cuncta videntem  
 Ipsam nempe fugit nemo , eluditve. Latenter

Retia qui tendunt alijs , lactantque dolosé  
 Incautos , qui que illorum capiuntur ab hamis  
 E Cœli videt arce Deus , partitur & æqua ;  
 Hos namque exolvit laqueis , ulciscitur illos.  
 Sæcli prudentes , uni qui lumina poscunt  
 Subdi cuncta suo , quorūmque tumere videtur  
 Consilijs gravidum pectus , cervixque sub orbis  
 Pondere credatur noctesque diesque laborans ;  
 Solis si propriis confidere viribus audent ,  
 Nique illustrari radiis cœlestibus orant ,  
 Hos à fine Deus permittit in avia flecti ,  
 Consiliique inopi patitur sterilescere mente.  
 Sic & judiciis qui præsunt , qui que putantur  
 Legum vivæ animæ ; superæ sine munere lucis  
 Decernunt , stolidus quæ vix effutiat ullus.  
 Sint etiam memores , Terrestria Numina , Reges ,  
 Ipsorum cedit quām celsa potentia quævis  
 Divinæ , quin & superā quām pendet ab illâ .  
 Nam Deus est , Reges qui tollit & abiicit idem ,  
 Illis qui sceptrum qui dátque adimitque coronam  
 Ut lubet , utve suo videt illos munere fungi .  
 Munus id est , sibi non populos sed credere natos  
 Se populis , jussos horum invigilare saluti ,  
 Séque hominum Reges simul esse , Deiq; Ministros .  
 Regis in officio , ceu quadam in imagine , nōriat  
 Effinxisse Deum sese , virtutis & umbram  
 Hic voluisse suæ Majestatisque patere ,  
 Major ut in populis esset reverentia legum ,  
 Quarum præpositos tangit custodia Reges .  
 Hæc nisi sollicitâ dignantur pendere curâ ;  
 Natos si Reges sese , populive favore  
 Jactant electos , nec Cælo hoc quidquid honoris

Addicunt; hæc si Belli virtute mereri  
 Aut aliaquā dote putant, sique inde tumescunt,  
 Inflat adulantum si blandiloquentia pectus,  
 Thurea si de sede movet veneratio mentem;  
 Deliciet fastus, & folles comprimet illos  
 Rex major, raptamque sibi laudemque decūsque  
 Asseret, & cultum, sibi qui sit debitus uni,  
 Conteret autem illos, figulina ut vasa, superbos;  
 Et dissolvetur bellator Balcheus illis,  
 Nimirum bello parti eripientur honores,  
 Cernent seque ipsi missos in vincula, scese  
 Æquos antè Dco qui Majestate ferebant.  
 Gloria, pompa fugax abolescat, grande sonantes,  
 Vanescent tituli, nec erit noménque superstes,  
 Ni Deus hoc sacerulis velit æternare futuris  
 Horridum in exemplum, veluti quæ fulmine tacta.  
 Sic &, cura sacris quibus est mandata præsse,  
 Quosque suam Deus in partem selegit habendos;  
 Vanis oblectant si se, immiscentque profanis,  
 Sique ministerij, quo nil sublimius extat,  
 Immemores pronam abiiciunt ad vilia mentem,  
 Ad terrena; jugum vel si quod ferre recusant  
 Imponunt aliis, exemplo sique præire  
 Non certant; hunc si fastus comitatur honorem,  
 Si luxus; quæ præstatur reverentia censem  
 Si propriam sibi, sique Deum non nosse facentur  
 Autorem, gratis dedit hōc qui munere fungi,  
 A dextrâ quanvis hominum accepisse videtur;  
 Ridendos illos hæc jam sat opinio præbet,  
 Insuper ira Dei sed & exardescet in illos,  
 Conantes ad se divinum avertere cultum

Laudemque , & sancti captantes thuris odorem.  
 Se pede metiri proprio modulōque recusant,  
 Personāque illos sequitur contemptus ademptā ,  
 Ipso & honore carent poterant quēcumque modesti  
 Dote mereri aliā privatā in limite sortis.  
 Est etiam si cui tortens data copia fandi ,  
 Non inde extollat sese tumeātque superbus ;  
 Nāmque facultatem Deus hanc hebetaverit ulti ,  
 Illi adimētque fidem , nec non cūm vera loquetur ,  
 Aut finet errorum perplexa ambage teneri ,  
 Nugantem auditor ferre ut neget , obstrepat illi ,  
 Delirum inclamat , totōque exsibilet ore.  
 Nec minus in senibus prudentia deperit omnis ,  
 Fitque , jubente Deo , puerili qualis in ævo ,  
 Aut madidi qualis fuit olim infantia nasi.  
 Firmitas Deum contra tuta estque potentia nulla.  
 Impunè illius non est qui provocet iram.  
 Qui Rex incedit stipante satellite multo  
 Securus , vel quem securum incedere credas ,  
 Sic celo sese ore ferens humana videtur  
 Temnere cuncta , velut qui vertice sydera tangat ;  
 A Cœlo Terraque nihil putat esse rimendum :  
 Unde timebatur nihil at plerumque ruinam  
 Illa trahens īmo ruit à fundamine moles .  
 Ut namque à centro partes quō quæque remotæ  
 Longius abscedunt , illæ pariterque moventur  
 Ocyus , & motum sensim propiotibus addunt :  
 Sic , populi quæ fæx à Rege remotior , ultro ,  
 Aut impulsa Ievi momento , prima cietur  
 Sedibus ex imis , trahit & sublimia secum ,  
 Involvitque simul ; tum corda in singula sese

Insinuat Majestatis contemptus , & acre  
 Mox odium , mox quid moliri audacia , junctæ  
 Se numerantque manus , numerat & brachia ; crescunt  
 Inde animi , gliscit furor , atque incendia latè  
 Seditio spargit , regale exardet & ipsum  
 In solium ; fiuntque hæc non sine numine , quando  
 Rex , à quō & per quem regnat , non cogitat excors .  
 Tum quis sufficitur , veluti de pulvere surgens ,  
 Qui populo servire sciāt , rebūisque mederi  
 Afflictis , ut qai consors fuit antè malorum ,  
 Et miseris est ipse miser succurrere doctus ;  
 Injustumque illum passus dominumque superbum  
 Sanior hinc didicit justè & regnare modestè .  
 Etenebris profert Deus occultissima quæque  
 In lucem . Quare , in cæcæ caligne noctis  
 Crimina qui patrant , oculos ne posse latere  
 Divinos , pœnæ vel se subducere credant .  
 Gentes illi omnes sunt ut domus unica , nutu  
 Has moderatur , agit , retrahit , dispergit , adunat ;  
 Multiplicat , sterilesque iterum rarescere cogit ,  
 Bello , peste , fame , numero redditque priori .  
 Ac demum , quorum nos admiratio cæca  
 Percellit trepidos , sunt illi hæc maxima Iudis .  
 Regum animos & corda manu fingitque premitque ,  
 Ut lubet , huc illuc inflectit , nuncque pavore  
 Perturbat subito , stimulatque per avia ferri ,  
 Nunc velut in tenebras adigit noctemque profundā ,  
 Cæcorum incedant ubi more , per aëra jacent  
 Incertasque manus , dubijs pedibusque vacillent ,  
 Nec secus , ac vini titubant qui compede vineti .



## CAPUT XIII.

*Iob amicos suos ex ipsorum verbis confutans, à  
Deo arguendos afferit; suam quoque justitiam  
ac patientiam contra amicos tuetur, quærens  
à Deo propter quæ peccata tam graviter af-  
fligatur.*

1  C C E omnia hæc vidit oculus  
meus, & audivit auris mea, &  
intellexi singula.

2 Secundum scientiam ve-  
stram & ego novi, nec inferior vestri sum.

3 Sed tamen ad omnipotentem loquar,  
& disputare cum Deo cupio:

4 Priùs vos ostendens fabricatores men-  
daci, & cultores perversorum dogmatum.

5 Atque utinam taceretis, ut putaremini  
esse sapientes.

6 Audite ergo correptionem meam, &  
judicium labiorum meorum attendite.

7 Numquid Deus indiget vestro menda-  
cio, ut pro illo loquamini dolos?

8 Numquid faciem ejus accipitis, & pro  
Deo judicare nitimini?

9 Aut placebit ei quem celare nihil potest;

aut decipietur ut homo, vestris fraudulentiis?

10 Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis.

11 Statim ut se commoverit, turbabit vos, & terror ejus irruet super vos.

12 Memoria vestra comparabitur cineri, & redigentur in lutum cervices vestrae.

13 Tacete paulisper, ut loquar quodcumque mihi mens suggesserit.

14 Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis.

15 Etiam si occiderit me, in ipso sperabo: verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam.

16 Et ipse erit salvator meus: non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.

17 Audite sermonem meum, & ænigma-ta percipite auribus vestris.

18 Si fuero judicatus, scio quod justus in-veniar.

19 Quis est qui judicetur tecum? veniat: quare tacens consumor?

20 Duo tantum ne facias mihi, & tunc à facie tua non abscondar:

21 Manum tuam longe fac à me, & for-mido tua non me terreat.

22 Voca me, & ego respondebo tibi:

aut certe loquar , & tu responde mihi.

23 Quantas habeo iniquitates & peccata,  
scelera mea & delicta ostende mihi.

24 Cur faciam tuam abscondis , & arbitraris me inimicum tuum ?

25 Contra folium , quod vento rapitur,  
ostendis potentiam tuam , & stipulam sicciam  
persequeris :

26 Scribis enim contra me amaritudines , &  
consumere me vis peccatis adolescentiae meæ.

27 Posuisti in nervo pedem meum , & ob-  
servasti omnes semitas meas , & vestigia  
pedum meorum considerasti :

18 Qui quasi putredo consumendus sum,  
& quasi vestimentum , quod commeditur  
tinea.



## PARAPHRASIS.



U Æ sum divinâ de Majestate locutus  
Illorum partem hisce oculis partem  
auribus hausí ,  
Transmissam accepi partem à majo-  
ribus , usu

Edoctis , quorum est virtus spectata fidésque.

Hic igitur vestrâ liceat mihi pace fateri

Me nihil à yobis didicisse , animoque fuisse

Jam præcepta meo vestra hæc, majoraque forsan  
 Et meliora ( Dei fateor quod muneris omne ;  
 Nec tumor hiuc ullus , res illum admittere nostræ  
 Namque negant ; nostris hæsit nec moribus antè )  
 Quare , cùm nequeam vestri sermonibus oris  
 Doctior esse , Déum planè erudiendus adibo ,  
 Alloquar omniscium , & venerans dubitator ab illa  
 Exquiram , quæ sciri alio doctore negantur.  
 Antè tamen , pravi & liceat vos dicere falsi  
 Artifices , saltē ignatos afflcta levare  
 Corda , parūmque manus cautos adhibere medentes .  
 Vulnera tractatis dum nostra , exasperat illa  
 Crudelis cura , & spatiū discerpit in amplum ,  
 Atque venenatos vix parcitis addere succos .  
 Vos utinam constans tenuisset cura tacendi ,  
 Quales ad nostri cùm ditigistis hiantes  
 Aspectum , nec vox septem est emissâ diebus .  
 Salva maneret adhuc tacitis sapientia vobis ,  
 Nam stultus muto , sapienti est proximus , ore .  
 Asperiore autem nos ob surgare loquelâ  
 Quod placuit vobis , haud segniùs invehat ipse ,  
 Parque pari referam . Quare æquam admittite legem .  
 Ac primùm , quæ sit vestra insipientia , miror .  
 Scilicet omnipotens vestræ Deus attis egebat  
 Fictiloquæ , quâ se à culpâ purgaret , in istis  
 Quæ patior , justum quâ séque probaret & æquum ?  
 Egregios habeat certe vos ille Patronos ?  
 Auxilio forsan nequeat sine vincere vestro ?  
 Déque illo num credatis bene posse mereri ,  
 Ejus obit si vestra vices sententia , sitque  
 Ejus lata loco , ac veluti de sede supremâ ?

Illius à vobis reverentia fингitur obstans,  
 Insens ne credar , plecti tam visus acerbè;  
**A**tque hâc sub specie deludi posse putatis  
 Cuncta videntem illum. Stulti. Veri ulti & equi  
 Vos premet ille , reos falsæ pietatis , & in me  
 Vexando , versutè illi dare verba volentes;  
**G**ratum facturos ceu vos sperare liceret  
 Vestrâ injustitiâ , justi cùm fons Deus omnis ,  
 Omnis sicutque Boni , támque aversetur iniquos.  
 Protinus ergo suæ vos fulmine conteret iræ ,  
 Et via nulla fugæ nec spes erit ulla salutis ,  
 Ac velut in cineres vestrum quoque nomen abibit  
 Ore silente igitur nunc esse haúdque aure maligna  
 Vos iuvet , & nostræ non immiscere querelæ.  
 Fas mihi sit quæ dant animo sese obvia fari.  
 Sat fuerit mihi , certa Dei perspecta voluntas ,  
 Crederéque illiūs me non sine numine plecti ,  
 Ejus ut atbitrio subdar placidusque volensque ;  
 Permittam arcanis reliquum cœlestibus omne.  
 Vis tamen interdum nostrorum est tanta malorum ,  
 Atque huc mente feror perturbâ , ut suadear ipsum  
 Me manibus lacerare meis , & rumpere vitæ  
 Stamina : sed quo me contingat cùmque dolore  
 Torqueri , non me ulla ejus violentia vincet ,  
 Humanæ quantum poterunt contendere vires.  
 Nec dubito , quin vos mihi me consciencete mortem  
 Credatis cæco stimulante furore paratum ;  
 At contrà , certos jubeo vos esse , priusquam  
 Destruat me spes , Solis fore lumine cassum.  
 Vitam præ manibus gero , depositurus eamdem  
 Quando cumque suo Deus illam jure reposceret

Arbitrio; dolor sed non extorscrit ullus.  
 Novi posse Deum mihi sortem iterare priorem,  
 Ac meliorem etiam prono demittere cœlo;  
 Interea me voce reum constante negabo,  
 Ut, si peccassem, simul & peccasse faterer,  
 Judge námque meus Deus est, servator & idem.  
 Orarem veniam supplex, pateretur & ipse  
 Nostro se vinci gemitu lacrymisque benignus.  
 Verax namque illi, simplex, syncerus amatur,  
 At simulatores vindex asperrimus odit,  
 Esse probos falsâ dum se sub imagine fingunt.  
 Vobis ærumnæ mera sunt ænigmata nostræ,  
 Solvi quæ nequeant, dum, qui sine crimine, plector.  
 Me tamen insontem coram quocumque fatebor  
 Judge, nec testem fugiam quemcumque subire.  
 Et verò adversum quis se mihi sistat aperte  
 Accusatorem? Vestrum num prodeat ullus?  
 Cui magis in promptu? Nempe intus & in cute vobis  
 Ætate in tenerâ & primis sum notus ab annis.  
 Per me non steterit, mea quin sub Judge vita  
 Sit tota, & cunis quin excutiatur ab ipsis.  
 At, Deus, ausit homo si se mihi sistere nullus,  
 Hásque velis in me solus si sumere partes,  
 Bina oro; Majestatem digneris ut illam  
 Velare, obtutus nequeunt quam figere nostri,  
 Et cuius perstricti oculi splendore laborant;  
 Tum, mala paulisper nostra ut patiare remitti,  
 Et voci laxent ut spiramenta dolores.  
 Concessis utcümque istis, ad utrumque paratus  
 Accedo, seu me tibi respondere probatur,  
 Seu mea me mavis sermone exponere, prorsus

Fuci experte omnis, nudantéque pectoris imam;  
 Quæque videbuntur nostris tu dicta repones.  
 At tu, cùm taceas, num vis me audire loquentem?  
 Credo e quidē, nec quæ est alia expectanda facultas.  
 Fidens ergo loquar. Quæ sint mea crimina quæram;  
 Jure utárque meo, nam quis non jure queratur  
 Damnari indictâ causâ, plecti hâcque latente?  
 Si reus inveniar, lacrymarum flumine labem  
 Protinus eluero; si simque à criminis liber,  
 Puram perfundet mentem secura voluptas,  
 Atque tuo patiar quascumque à numine pœnas,  
 Non alieno animo, contractâ aut fronte reluctans,  
 Nam quid jure in me nequeas decernere summo?  
 Hoc unum fuerit mihi non tolerabile, vultus  
 Nubilus ille tuus, quo me aversaris ut hostem.  
 Egregium me hostem, & dignus qui censear ita  
 Esse tuâ, folium, quod circinat halitus auræ  
 Vel minimus, præbere Notis ludibria jussum,  
 Arentem stipulam, floccum, pappumque volantem,  
 Denique projectâ factus qui vilior algâ!  
 Tûne, exercitium Deus, armorumque supremus  
 Arbiter, incendens curru flammante, coruscis  
 Aligerum mille agminibus circum undique cinctus,  
 Et Terram tonitru quatiens & fulmine terrens,  
 In medium mecum decertaturus arenam  
 Descendes? at quæ Belli in me causa movendi?  
 Num fortè exactæ ratio accurata juventæ  
 Ut tibi reddatur, me si qua in devia fervor  
 Impulit ætatis, vel recti inscitia traxit?  
 Expungi hæc poterant, vitâ deleta sequenti,  
 Consenuit quæ tota in te transacta colendo.

Hæc propter, ceu coimpeditibus, vincisque, dolorum  
 Obruīs omnigenūm me mole, gravāsque, premissique,  
 In nervo ut positus cui pes immobilis hæret.  
 Observas pariterque vias solaminis omnes,  
 Occludisque aditus, tendis quoque gressibus usque  
 Insidias nostris, interque pericula semper  
 Et casus inter, laqueosque incedere cogor,  
 At non illa diu passurus; nempe putredo  
 Et sanies jam me putrescere sentio totum,  
 Vermibus esca, velut tineis quæ vestis edulis  
 Jam facta, & blattis cœpit jam marcida rodi.



## CAPUT XIV.

*Iob, considerata fragilitate humana, admiratur  
 Dei in hominem providentiam, quod post hanc  
 vitam exspectet aliam, & corporum vaticina-  
 tur resurrectionem.*

- I      **H**omo natus de muliere, brevi  
       vivens tempore, repletur mul-  
       tis miseriis.
- 2 Qui quasi flos egreditur &  
       conteritur, & fugit velut um-  
       bra, & nunquam in eodem statu permanet.
- 3 Et dignum ducis super hujuscemodi ape-

rire oculos tuos , & adducere eum tecum in judicium ?

4 Quis potest facere mundum de immuno conceptum semine? nonne tu qui solus es?

5 Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est : constituisti terminos ejus , qui præteriri non poterunt.

6 Recede paululum ab eo , ut quiescat, donec optata veniat , sicut mercenarii dies ejus.

7 Lignum habet spem : si præcisum fuerit, rursum virescit , & rami ejus pullulant.

8 Si senuerit in terra radix ejus , & in pulvere emortuus fuerit truncus illius :

9 Ad odorem aquæ germinabit , & faciet comam quasi cùm primum plantatum est :

10 Homo verò cum mortuus fuerit , & nudatus atque consumptus , ubi quæso est ?

11 Quomodo si recedant aquæ de mari , & fluvius vacuefactus arescat :

12 Sic homo cum dormierit, non resurget: donec atteratur cælum , non evigilabit , nec consurget de somno suo.

13 Quis mihi hoc tribuat , ut in inferno protegas me , & abscondas me , donec pertranseat furor tuus , & constitucas mihi tempus , in quo recorderis mei ?

14 Putasne mortuus homo rursum vivat?

cunctis diebus , quibus nunc milito , & expe-  
cto donec veniat immutatio mea.

15 Vocabis me , & ego respondebo tibi ,  
operi manuum tuarum porriges dexteram.

16 Tu quidem gressus meos dinumcrafti ,  
sed parce peccatis meis.

17 Signasti quasi in fæculo delicta mea ,  
sed curasti iniquitatem meam.

18 Mons cadens defluit , & saxum transfer-  
tur de loco suo.

19 Lapidès excavant aquæ , & alluvione  
paulatim terra consumitur : & hominem  
ergo similiter perdes.

20 Roborasti eum paululum ut in perpe-  
tuum transiret : immutabis faciem ejus , &  
emittes eum.

21 Sive nobiles fuerint filij ejus , sive igno-  
biles non intelliger.

22 Attamen caro ejus dum vivet dolebit ,  
& anima illius super semetipso lugebit.

## PARAPHRASIS.



UÆ non speret homo mala trifili  
munere vitæ,  
Orditur quam fœminæ de sordibus  
alui;  
Et quæ, si subeat nonnulla ex part  
beata,


Demetitur, cùm jam illius vix cœperat usus?  
Est instar floris, primo qui marcer ab ortu,  
Aut fugitivæ, eadē quæ nunquam permanet, umbra.  
Tamq; miser cùm natus homo, tam sitque caducus,  
O Deus, anne tuâ credis, Celfissime, dignum  
Majestate, oculos ejus demittere gressus  
Ad cunctos, totum vitæ observare tenorem,  
Pectoris occulta scrutari, in jusque vocare,  
Illiū erratis nec connivere minutis?  
Quò, precor, in miseros tua tanta inquirere curia?  
Invenienda putas, hominem cùm excusseris omnem  
Ex omni quæ parte probes? adde ipse probanda,  
Atque tuis placitum oculis affunde nitorem;  
Immundo nam conceptum de semine, partum  
Impure solus potes ipse refingere mundum.  
Est ubi natus homo, nescit sibi terminus ævi  
A te præscriptus quis sit. Tu scilicet unus  
Hunc nosti; fore paucorum tantum ipse dierum  
Certus, ad incertum tendit præcordia finem,  
Nec libare potest ipsum hoc breve labile vitæ,  
Sisteréve, aut ultra fixam producere metam.

Est tamen illa malis brevitas quoque longa ferendis,  
 Heu talis damno nimium quoque cognita nostro.  
 Ah! Deus, ah! graviore premens me pondere dextræ,  
 Illam paulisper removens, concede quietem,  
 Quâ tandem, qui conductus mercede laborat,  
 Adveniente frui noctis permittitur umbrâ,  
 Fessa novaturo distendens membra sopori.  
 Donec vivit homo potes illi parcere, lâti  
 Indulgere aliquid, sed nil post funera: sensus  
 Tunc illi nullus, nec munere noverit uti.  
 Atque ita conditio num cedere nostra videtur  
 Arboribus, quarum decisis undique ramis,  
 Et jam præ senio radice arente, superstes  
 Propterea non desperat revirescere truncus,  
 Quippe vel à solo recreatur odore liquoris,  
 Atque repubescens sensim nova brachia promic  
 Luxurians, latéque ~~comam~~ diffundit in auras;  
 At post mortem homini spes vitæ est nulla novandæ.  
 Si vi fortè aliquâ Maris evanesceret unda  
 Evacuata; aut si, rapido quæ vortice sese  
 In mare præcipitant, arescant flumina, vasti  
 Quid nisi tunc campi, nec arati navibus apti,  
 Hospita squammigeræ nec jam penetralia genti,  
 Dispersis nec jam populis liquentia vincla?  
 Sic hominis quoque destituet cùm spiritus artus,  
 Funereusque ejus claudet cùm lumen somnus,  
 Truncus erit, motuque carens sensuque, redire  
 Nec potis ad vitam, Naturæ, aut viribus artis,  
 Cœlorum æternus donec labor atteret orbes.  
 Conditio moriendi homines hæc territat omnes,  
 Lætor at unus ego, quò terminus ille videtur

Esse mihi propior, nam creditur ille malorum  
 Esse simul finis; lenimen & aucupor illud,  
 Præcipioque animo, me sumque urgere paratus,  
 In tumulo jaccämque libens, deferveat ira  
 Dum tua, sitque datus vitæ mihi posthumus usus.  
 At fierine potest, hominis deliria quin sint  
 Vitæ avidi nimium, vitam sperare secundam  
 Hæc ubi rapta semel? num causa sit, insitus horror  
 In nihilum redigi, velli radicitus almâ  
 Rerum è Naturâ? Quando tot vexor acerbis  
 Arridet spes illa tamen, solamine lætus  
 Mulceor illo uno, cita mors ut finiat ævi  
 Hoc breve concessum spatum, condârque sepulchro,  
 Méque premat somnus, donec tuba suscitet olim  
 Me tua, & immuter fata ad meliora renatus.  
 Audiam, & exurgens tibi respondebo vocanti.  
 Ipse manum tendes, è Terræ méque latebris  
 Educens, spirare iterum dabis ætheris auras.  
 Me certè hæc recreat spes quantumcumque remota,  
 At parte ex aliâ tuus auget calculus illas  
 Quas patior poenas, errata levissima quæque  
 Dum nostra annumeras, lanci imponisque severâ  
 Illa minutatim collecta, ut ponderis addas  
 Incrementa, & ceu graviora ob crimina plectar.  
 Poenarum ex haustum sed jam satis; oro, benignus  
 Ignoscas, bene me jubeas postque ista valere,  
 Deletumque velis fuit in me quidquid iniqui.  
 Anne diu valeam par tot tantisque ferendis  
 Esse malis? Lapidès mollis cavat unda, cadendo  
 Continè, annosâ montes ætate liquefunt,  
 Interdumque atro Terræ absorbentur hiatu.

Alluvies campos peredit, munimina; rupes.  
 Quō non nutet homo, quō non & concidat ictu  
 Impulsūve tuo? quæ non ad flamina vilis  
 Hic raptus pulvis tenues vanescat in auras?  
 Robur habere aliquod florente videtur in ævo,  
 Mox robur flōsque ille perit, redditurāque nunquam  
 Illa <sup>utrat</sup> immatum formam in deformē cadaver.  
 Ablegas hominem quō non pertingit amatis  
 De rebus cura ulla, ipsâ non déque relicta  
 Progenie, sive illa genus sit naēta decorum  
 Nascendo, magnas vel opes & culmen honorum,  
 Vel si lauta parum res est nec opima parata.  
 Horum nil ipsum tangit, nam nuntia nulla  
 Illuc Fama volat, nec inanes personat aures.  
 Vitalis tantum dum ducitur aura, dolendum  
 Est homini; vitæque aderit cùm proxima meta,  
 Ipsa etiam tunc Morti anima illuctabitur ægra,  
 Corpore cùm juncto miscens abitura querelas.





## C A P P U T X V.

*Eliphaz Job arguit jactantiae, impatientie & blasphemiae in Deum; apud quem dicit neminem mundum inveniri, describens impiorum ac hypocritarum maledictionem.*

1 **R**ESPONDENS autem Eliphaz Themanites dixit:

2 Numquid sapiens respondebit quasi in ventum loquens, & implebit ardore stomachum

fatum?

3 Arguis verbis cum qui non est aequalis tibi, & loqueris quod tibi non expedit.

4 Quantum in te est, evacuasti timorem, & tulisti preces coram Deo.

5 Docuit enim iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium.

6 Condemnabit te os tuum, & non ego; & labia tua respondebunt tibi.

7 Numquid primus homo tu natus es, & ante colles formatus?

8 Numquid consilium Dei audisti, & inferior te erit ejus sapientia?

9 Quid nosti quod ignoremus? quid in-

telligris quod nesciamus ?

10 Et senes & antiqui sunt in nobis , multo vetustiores quam patres tui.

11 Numquid grande est ut consoletur te Deus ? sed verba tua prava hoc prohibent.

12 Quid te elevat cot tuum , & quasi magna cogitans , attonitos habes oculos ?

13 Quid tumet contra Deum spiritus tuus , ut proferas de ore tuo hujuscemodi sermones ?

14 Quid est homo , ut immaculatus sit , & ut justus appareat natus de muliere ?

15 Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis , & cæli non sunt mundi in conspectu ejus.

16 Quanto magis abominabilis & inutilis homo , qui babit quasi aquam iniquitatem ?

17 Ostendam tibi , audi me : quod vidi narrabo tibi.

18 Sapientes confitentur , & non abscondunt patres suos.

19 Quibus solis data est terra , & non transfivit alienus per eos.

20 Cunctis diebus suis impius superbit , & numerus annorum incertus est tyrannidis ejus.

21 Sonitus terroris semper in auribus illius : & cum pax sit , ille semper insidias suspicatur.

22 Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem , circumspectans undique gladium.

23 Cum se moverit ad quærendum panem, novit quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies.

24 Terrebit eum tribulatio : & angustia vallabit eum , sicut regem qui præparatur ad prælrium.

25 Tetendit enim adversus Deum manum suam,& contra omnipotentem roboratus est.

26 Cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.

27 Operuit faciem ejus crassitudo , & de lateribus ejus arvina dependet.

28 Habitavit in civitatibus desolatis , & in domibus desertis , quæ in tumulos sunt redactæ.

29 Non ditabitur, nec perseverabit substantia ejus:nec mittet in terra radicem suam.

30 Non recedet de tenebris : ramos ejus arefaciet flamma , & auferetur spiritu oris sui.

31 Non credet frustra errore deceptus, quòd aliquo pretio redimendus sit ,

32 Antequam dies ejus impleantur , peribit :& manus ejus arescent.

33 Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus,& quasi oliva proiiciens florem suum.

34 Congregatio enim hypocritæ sterilis,  
& ignis devorabit tabernacula eorum, qui  
munera libenter accipiunt.

35 Concepit dolorem, & peperit iniqui-  
tatem, & uterus ejus præparat dolos.

## PARAPHRASIS.

**T**OBI verba animo tulit hæc Eliphazus  
iniquo,  
Séque suósque illis temni dum credit  
amicos,  
Et Jobum est contra dictis sic orfus  
amaris.

An tibi, Jobe, potest dignum sapiente videri,  
Ut sine mente sonos ac verba evanida surdos  
In ventos, & nil ad rem facientia jactes?  
Perstrepis insanè, tumidâ stomacharis & irâ;  
Ac tua, prò superi, tanta est væcordia, summum  
Ut culpésque Deum, cæca impietate lacestas,  
Insimulans illum, justos ut sponte prementem,  
Immanémque adeo gaudentem ludere ludam.  
Per te non steterit, tua qui verba audiat (illis  
Si qua fides) quin divinum de mente timore  
Excutiat, sacrum jubeátque faceffere cultum,  
Credatúrque precum nugax & inutilis usus,  
Rellgio deinum tollatur funditus omnis.  
Ultro namque hostem rectis qui credit & æquis

Esse Deum , gratis immittere tristia , talem  
 Anne amet , aut ejus thure aut prece numen adoret?  
 Crimine mentis ad hanc lingua est tua mota loque-  
 Factus es inque Deum verbis injuriis istis , (lam,  
 Nequitiāque , homines quæ dissimulata latebat.  
 At non arte Deus deludi est passus ab illâ.  
 Deblateras , in Cœlum ut qui convicia latrant  
 Excordes , humana Deum curare negantes.  
 At , precor , ipsum in te subeat modò cura redire;  
 Quippe tui compos mox te damnaveris ipse ,  
 Hæcque ejurabis , temerè , te judice , dicta.  
 Primus tûne parens hominum , qui dogmata Cœlo  
 Ordine gignendis tradenda nepotibus hausit?  
 Teve priorem illo num forsan origine credis ,  
 Præcessisse etiam quô Terra est condita tempus ,  
 Quô colles ab aquis primi emersere retecti ?  
 Conditus aut mundus cùm totus , téne vocavit  
 Summa in consilium Sapientia? nonne fuisti  
 Primus & ipse autor ? vel num navata secunda  
 Est tua saltem opera , adjutrix & duxera juncta?  
 Parciūs hic indulge animo tam vana tumenti ;  
 Nam nec inaudita aut nobis incognita narras.  
 Quódque ætate sumus forsan tibi cedere visi ,  
 Idcirco non nostra tuæ Sapientia cedit.  
 Namque & majores , & præcessere Magistri ,  
 A quibus illa ad nos longo proceſſit ab ævo  
 Intemerata , Dei regimen celebransque , docensque  
 Ut cura illius se res partitur in omnes ,  
 Indivisa licet sit totum infusa per orbem.  
 Nos inter vivunt & adhuc , ætate priores  
 Quàm fuerint ipsi qui te genuere parentes .

Hi sunt autem illi quos consuluisse juvabit,  
 Et quorum alloquiis stat recta & vera doceri,  
 Non à te, emōrunt quem sanâ è mente dolores.  
 At non longè à te, mihi quid si credis, abesset  
 Solamen, simul ipse Deus, solaminis autor,  
 Occulto arceres ni criminē, nōsque latente,  
 Et quibus incestas atrocibus astra querelis,  
 Præstaret quando pacem veniamque precari.  
 Hinc refugit divina tuas miseratio pœnas.  
 Deridere autem num nos & nostra videris  
 Verba, tumēs corde, aspectu vix nos quoque dignans,  
 Nunc Terræ affigens oculos, ut magna volutans,  
 Utve Deum contra mox torvè in sydera torquens,  
 Jacta exhauserunt postquam convicia peccatus,  
 Insontem téque es falsò integrumque professus?  
 Proh superi, purum se credat homuncio, fœdas  
 Qui sordes inter, veluti Scarabæus, in auras  
 Eductus, quippe has inter conceptus & ortus,  
 Incola quique domūs luteæ, quam tempore vitæ  
 Circumfert toto, vas nempe hoc fictile, corpus;  
 Qui, Talpæ & vermi mensâ dignatus eādem,  
 Communi Terræ putredine séque saginat,  
 Quando alimenta illi sunt putri è semine cuncta,  
 Vel ( quod sordidius ) sunt ipsa cädavera pastus,  
 Ex animante dapes spurcè præbentia cæsas,  
 Ut solo à corvis, à vulturib[us]que lupisque  
 Distet homo, quòd cruda illis, huic cocta vorantur,  
 Sint quoque quæ gentes hæc condimenta recusent,  
 Et mandant atro quæ membra fluentia tabo,  
 Imò humana feris epulentur fæviùs ipsis,  
 Congeneres violare dapes quæ morsibus horrent?

Nec verò humanos hæc monstra gerentia vultus,  
 Bruta vel illa, hominum dignari nomine nolle,  
 Sit reliquos purgare potens, cùm gentibus inque  
 Exultis, quæ rectâ uti ratione putantur,  
 Uti séve putant, fiant quoque multa, pudori  
 Quæ sunt Naturæ, refugit quæque ipsa reluctans:  
 Sic illa in nobis cœlestis flammula sordet  
 Mens humana, Dei sicque hæc fuscatur imago  
 Hanc mundi in fæcem detrusa, remotius axe  
 A Cœli supero, credens illudque moveri  
 Interea sibi Cœlum uni, dum nil tamen hujus  
 Percipit, at stupidè sede hoc suspectat ab imâ,  
 Et vitalem auram donec mendicat ab illo,  
 Desuper omnigenam simul excipit illius iram,  
 Excipit ipsa etiam ceu purgamenta, pruinas,  
 Et quodcūque illam gravat hic cum corpore juctam.  
 Mitto ea; sed saltem nulli hoc dubitabile constat;  
 Quilibet est immundus homo, magis ille, minùsque  
 Hic alio, cùm sit sine culpâ aut crimine nullus,  
 Et, quod præcipuum, sit ei cùnt fœmina mater,  
 Humani ut generis sic exitiique propago,  
 Peccati radix, semen fomesque malorum.  
 Nec ducta est hominis solâ hâc ab origine noxa,  
 Nam quô se justum quô dixerit ore carentem  
 Labe, Dei dextrâ dum qui formatus Adamus,  
 Et qui post illum Patres virtute verendi,  
 Vitifator Noë, gentisque Abramus origo  
 Hebræe, sanctique alij, super æthera noti,  
 Nec simul ipsi illi macula caruere Ministri  
 Aligeri, qui sacra Dei mandata capessunt?  
 Constanter nequicre vias insistere rectas.

Ipsa etiam Cœli convexa, illa aurea Templa,  
 Illa Dei sedes, & mentibus aula beatis,  
 Cujus perstringunt oculos stellantia nostros  
 Lumina, caligant divini ad fulgura vultus,  
 Sunt cotamque Deo cæcæ ipso in Sole tenebræ.  
 Ergo homo, qui limus, qui que est caro foetida (vitæ  
 Ni sale cōdita ad tempus dum permanet, expers  
 Fœtoris) num munditiem sibi vindicet æquam  
 Mentibus his superis, talem aut sibi credat inesset,  
 Se purum non solum homines ut venditent inter,  
 Ostentare Deo temerè sed & audeat ipsi,  
 Omnia dum tamen est admittere crimina pronus,  
 Et velut illa imis cupiens haurire medullis,  
 Quò lymphis ardore inhiat, quando uritur æstu,  
 Ac illis avidè sitientia proluuit ora?  
 Quæ novi, vidique egomet, prudentibus & quæ  
 Prodicta sunt ab avis, gentem moderamine nostram  
 Qui justo rexere, & sunt à quolibet hoste  
 Tutati, non vim tantum sed dogmata contra  
 Externa, errores quique exclusere profanos,  
 Horum participem modò te fecisse juvabit,  
 Tu verò attentas præbe tractabilis aures.  
 Horum effata hæc sunt, memori quæ mente tenenda.  
 Cernis, opum fastu, quantisque superbis honorum  
 Impius ille tumens titulis? hos despicit, illos  
 Vexat agens, calcatque premens impunè, ruitque  
 In seculis omne vagus, laxisque immittit habenas.  
 Securum quis non credat? quis nilque timenterem?  
 Imò remota timet, nedum impendentia; menti  
 Nulla quies, vultu licet hanc præfettere videtur.  
 Cæteraque ut taceam; quām vitæ terminus illum

Incertus, finisque ignota Tyrannidis angit?  
 Namque ipsum non pœna latet subeunda merenti,  
 Et cruciat vitæ ratio reddenda scelestæ.  
 Omnis eum turbat sonitus, semperque putatur  
 Promptus adesse ultor, jugulum mucrone resolvens,  
 Et pace in mediâ bellum insidiâsque tremitis.  
 Composuit si membra toro, recreanda sopore,  
 Insomnem tranat per spectra horrentia noctem,  
 Per gladios, in se stringi quos vndique cernit,  
 Cernere vel sese malesuado lumine credit.  
 Si mensæ accubuit, mortem sub dente crepantem  
 Suspectans, mortu timet à quocumque venenum.  
 Respuit illius lautissima quæque palatum  
 Fercula: vel, mandit si quæ, demittere mansæ  
 In stomachum ex alto ductis singultibus horret,  
 Perniciem conditam illis dum credit īesse.  
 Sollicitudo illum, terror circumdat, & angor  
 Undique vallatum, ceu Regem, exercitus illum  
 Cùm premit hostilis, jámque est certare paratus  
 Rerum de sumimâ, estque ejus cùm pendula vita  
 Sortis ab arbitrio, & nutant Regnumque, decūsque.  
 Dura licet sint illa, pati graviora mcretur,  
 Ausus nimirum cœleste lacescere numen,  
 Erectâ veluti minitans cervice, manuque  
 Extentâ, vultuque irâ fastuque tumente,  
 Arvinâque, latus quæ pendens nuper utrumque  
 Illi stipabat, nunc pellis & ossa supersunt,  
 Occulto tortore illum cruciante beatum.  
 Supplicij demum nec terminus ille futurus.  
 Excidet è solio præceps, & triste feretur  
 Pulsus in exilium, resqua in deserta fugatus,

Ut nec in urbe domum nec toto habiturus in orbe,  
 Vasta dedit qui cuncta, domos prostravit & urbes,  
 Desolata suis viduavit & arua colonis.  
 Cernet ab injustis sibi nil superesse rapinis,  
 Dilapsas & opes, teneræ velut arboris æstu  
 Decoquitur coma, radices cum debilis egit  
 In terram exiles, nudis vel cautibus hæsit.  
 In tenebras timor illū adiget, mœrorque, pudorique,  
 Atque ibi tabescet, miseram dum terminet ævum.  
 Impius ærumnas cum sit ruiturus in illas,  
 Prospicit haud ipsas, precib[us]ve avertere supplex  
 Conatur; cum verò illis oppressus anhelat,  
 Hisque illuctari frustra se denique sentit,  
 Desperat prorsus; quæque à sapientibus olim  
 Instillata viris fuerant documenta, fatetur  
 Vera nimis, surdāsque dolet quod præbuit aures.  
 Tandem extinguetur, decurso tempore nondum,  
 Quod solet humano præfigi terminus ævo,  
 Arescentque manus, vis instrumenta scelestæ,  
 Tot quibus in cædes in totque est usa rapinas.  
 Instar erit quassæ lapidosa à grandine vitis,  
 Cœperat ut primùm teneras extrudere gemmas;  
 Instar olivæ etiam, vernante in germine quando  
 Ejus decussit Cœli inclemens florem.  
 Fictâ sub specie sperat qui cuncta videntem  
 Fallere posse Deum fato excipietur eodem.  
 Nequidquam sperabat opum tutamen, iniquè  
 Per quodcumque nefas quas hinc corrasit; & illine,  
 Justitiam vendens, aptans ad munera lancem.  
 Absumet divina domos vindicta superbæ,  
 Sudore-extractas miserorum, & sanguine: Cœlo

Delabens flāma hæc scelerum monumenta vorabit,  
 Hæcque Injustitiæ probrosè erecta Trophæa.  
 Nocte diéque malus concepit prava, dolore  
 Unde alios premeret; verūm insidiásque, dolósque;  
 Exitiūmque est se pariter molitus in ipsum,  
 Atque aliena suum fudit per vulnera pectus.



## CAPUT XVI.

*Job amicorum austerritate commotus, dolorem  
 suum plangit, calamitatis magnitudinem  
 ostendens, seque pati citra iniquitatem, cuius  
 consciūm esse Deum afferit.*

- I **R**ESPONDENS autem Job, dixit:  
 2 Audivi frequenter talia,  
 consolatores onerosi omnes  
 vos estis.  
 3 Numquid habebunt finem verba vento-  
 sa? aut aliquid tibi molestum est si loquaris?  
 4 Poteram & ego similia vestri loqui: at-  
 que utinam esset anima vestra pro anima mea:  
 5 Consolarer & ego vos sermonibus, &  
 moverem caput meum super vos;  
 6 Roborarem vos ore meo: & moverem  
 labia mea, quasi parcens vobis.  
 7 Sed quid agam? si locutus fuero, non

quiescet dolor meus : & si tacuero , non recedet à me.

8 Nunc autem oppressit me dolor meus ; & in nihilum redacti sunt omnes artus mei.

9 Rugæ meæ testimonium dicunt contra me , & suscitatur falsiloquus adversus faciem meam contradicens mihi.

10 Collegit furorem suum in me , & comminans mihi , infremuit contra me dentibus suis : hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.

11 Aperuerunt super me ora sua , & exprobrantes percuesserunt maxillam meam , satiati sunt poenis meis.

12 Conclusit me Deus apud iniquum , & manibus impiorum me tradidit.

13 Ego ille quondam opulentus , repente contritus sum , tenuit cervicem meam , confregit me , & posuit me sibi quasi in signum.

14 Circumdedit me lanceis suis , convulnéravit lumbos meos , non pepercit , & effudit in terra viscera mea.

15 Concidit me vulnere super vulnus , irritauit in me quasi gigas.

16 Saccum consui super cutem meam , & operui cinere carnem meam.

17 Facies mea intumuit à fletu , & palpe-

bræ meæ caligaverunt.

18 Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.


19 Terra ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus.

20 Ecce enim in cœlo testis meus, & conscientia mea in excelsis.

21 Verboſi amici mei : ad Deum stillat oculus meus.

22 Atque utinam sic judicaretur vir cum Deo, quomodo judicatur filius hominis cum collega suo.

23 Ecce enim breves anni transeunt, & semitam, per quam non revertar, ambulo.



## PARAPHRASIS.



ÆC Eliphaz, Jobusque ejus sic dicta secutus.

Tædet jam dudum nostras trivialibus aures

Vestrīs obtundi monitis, repetitā que semper

Obtrudi nobis. Quænam solaminis ista

Est ratio? num præstaret tacuisse , dolores  
 Quàm nostros adeo verbis onerare molestis?  
 Vera quidem quæ sunt à vobis dicta fatemur,  
 A Cœlo exleges plecti immanésque Tyrannos,  
 Insontique manus habeant qui sanguine tintas,  
 Qui simulatores , capiunt qui munera , qui que  
 Justitiam vendunt, qui que id genus omnia patrant;  
 Quid verò hæc in me per summum juvit acerbè  
 Detorquere nefas? probrum quid inuritur illud?  
 Horum méne reum scelerū quisquam arguat & quus?  
 Desinite affatu nos extimulare maligno ;  
 Quin potius pressis quæso obmutescite labris.  
 Aspera vos premerent simili si pondere fata ,  
 Auribus ingererem ventosa an talia vestris?  
 An gestu vellem capitise illudere motu  
 Hoc vestro , quô me sic exagitatis acerbè?  
 Vobis tunc notum fieret sint illa dolenti  
 Quàm gravia , & faceret vos experientia certos.  
 Absit at illa à me tam non humana voluptas.  
 Vos potius verbis aptè solatet amicis:  
 Nam sinerem vos pauca queri , spatiisque dolori  
 Justum indulgerem , dum sedaretur & ipse;  
 Tum castigarem leviter , mentésque jacentes  
 Erigerem , vires animosque ad dura ferenda  
 Sufficerem , consors ceu factus & ipse malorum;  
 Spem faceremque malæ reddituræ ad prospera sortis.  
 Nempe ferocis equi fræna indignantis ut armos  
 Non fodit insiliens domitor, nec promptus habenas  
 Adducit, blando at mulcer poppysmate , palpat,  
 Atque relutantis cerebrosæ obtemperat iræ,  
 Lassati donec deferveat impetus ardens ,

Et virgam incipiat jam tunc audire regentem ;  
 Imperium tandemque pati , placidusque doceri ;  
 Curandos ad vos hæc uterer ipse medelâ.  
 Quam tamen , ô superi , promptum est aliena cuique  
 Ad mala consilium , si sanus & integer ipse est  
 Consilii qui munificus , qui prodigus autor ?  
 Casibus ille autem si conficitur eisdem ,  
 Quâ ratione aliis quam non sibi consulat æquè ?  
 Tam miserum cum me voluit Deus esse , beatos  
 Vosque , nec ulla potest fieri alternatio sortis ,  
 Quid faciam ? non deficerent me verba , dolorem  
 Si possem lenire meum vel tollere verbis.  
 Usibus aptarem quæ vestris , ipse referrem  
 In proprios , at solamen Deus abnuit omne ;  
 Nilque silendo juvat mœrorem in pectore pressum .  
 Velle inhibere meum rapiendum aut tradere ventis ,  
 Questibus emissum , vel amici voce benignâ .  
 Illectum ; medijs habitat námque ille medullis ,  
 Altius inque dies subiens hamator hæret .  
 Hæc quoque deficio quæ vos nunc alloquor horâ .  
 Corporis ista mei compages solvitur omnis ;  
 Cuncta locis emota suis mea membra videntur ,  
 Ut domus , annosam quæ dat labefacta ruinam ,  
 Nexu jam nullo partes sociante caducas .  
 Hoc sat testatur scabris cutis arida rugis ,  
 Lurida contracto macies à corpore crescens ,  
 Sedibus inque cavis fugientia lumina retro ,  
 Dignosci ut nequeam , qui que hoc me viderit ore  
 Horreat informem , & sceleris me credat atrocis  
 Esse reum , cœlestem in me quod provocet iram ,  
 Conscius antè meæ ni sit sine crimine vita

Vobis

Vobis ut potuit primævo à stamine nosci.  
 Quo me pacto habeam, fas uno dicere verbo  
 Illi me similem, ferus in quem proruit hostis,  
 Mole iraque tumens, collecto & robore toto,  
 Dentibus infrendens, exertoisque horridus unguis,  
 Quos agat in faciem truculentus, & in volet ardens,  
 Ut lacerati avidè se cæde & sanguine pascat.  
 Talibus omnipotens me tradidit hostibus, horum  
 Vexor ad arbitrium, patiorque immania cuncta.  
 Tot possessor opum, tot nuper honoribns audius,  
 Tranquillâ tam sorte fruens, tam prole beatus,  
 Taque homines & habere Deum qui visus amicum,  
 Nunc summo ex illo dejectus culmine, terræ  
 Illisus, pedibus proculcor ab omnibus idem,  
 Méque Deus magnæ premit omni pondere dextræ,  
 Me posuitque suis signum metamque sagittis.  
 Corporis esse mei sinitur pars integra nulla,  
 Infoditurque novum refricato in vulnere vultur,  
 Pestis ad arbitrium nequeant cum crescere membra,  
 Nec, quantum jubeant tormenta, extendere fese.  
 Ipsa revulsa fluunt & foedant viscera terram.  
 Quid non tentavi, divinam ut squalidus iram  
 Placarem, saccum cineremque indutus, humique  
 Stratus, amaro oculis lacrymarum flumine mersis,  
 Eliquet ut fese viuis jam tota facultas,  
 Intumeat vultus, sulcoque rigatus aretur  
 Multifluo, præcepisque sinum largè humor inundet?  
 Hæc quoque fas dici meritum me criminе nullo,  
 Aut saltem, cuius possim mihi conscius esse.  
 Me latet, admotâ vel cum face pectoris ima  
 Lustravi, rimans cordis fibrasque sinusque.

Me mala quin etiam vallarunt ista repente,  
 Non solum puras inhibebam quando rapinā  
 A quacumque manus, sed tendebámque supinas  
 Ad Cœlum supplex, summum prece numen adorans.  
 Mentiāt ac si quid, cariturus funere cedam  
 E vitâ, nudus jaceámque, exórsque sepulchri,  
 Nec me Terra parens gremio dignetur amico,  
 Ac ipsum, quem de nostris, dum vivo, fluentem  
 Haurit vulneribus, vomat indignata cruentem.  
 Ad Cœlum clamet, si quô clam criminē nector,  
 Atque elementa illud patiantur nulla latere;  
 Si taceántque homines, damnēt me muta, caréntque  
 Quæ sensu; in lucem tracti sit publica pœna.  
 Quamquam ô! cuncta Deus qui cernit, testis abunde  
 Num fuerit mihi? si tue alius num fortè vocandus?  
 At neque, quin testis judexque sit ipse recuso.  
 Eius judicio me sisto sciensque volensque;  
 Illi me trado, estque mihi spes omnis in illo,  
 Non falsis vobis in amicis, vana crepatis  
 Qui non tantum, at vulneribus qui toxica nostris  
 Additis, infesto, specie solaminis, ore,  
 Efféque me fontem quavis contenditis arte.  
 Ah! homines inter qui mos, si jure liceret  
 Cernere cùmque Deo, similemque intendere litem,  
 Agnitus eximeret noxà quām protinus omni?  
 Expectanda sed à Cœlo sententia pendens,  
 Incertum, quando sit delapsura. Fatisco  
 Interea, vitæque mihi jam terminus instat,  
 Et stadij quod jam cœpi decurrere meta;  
 Quam simul attigero, dabitur non inde regressus,  
 Audiam ut in vitâ quæ me sententiā solvat,

Atque homines inter quām sum, tam credar & insōs.  
Non vanum morienti illud solamen adesset,  
Vix inculpatæ vivente superstite famâ.



## CAPUT XVII.

*Iob ex afflictionis magnitudine sibi hīc nihil  
præter mortem restare contendit, & amicos  
præsentem tantū remunerationem statuentes  
insipientiæ arguens, ipse futuram requiem  
præstolatur.*

1  PIRITVS meus attenuabitur;  
dies mei breviabuntur, & solum  
mihi superest sepulchrum.

2 Non peccavi, & in amaritu-  
dinibus moratur oculus meus.

3 Libera me Domine, & pone me juxta te,  
& cujusvis manus pugnet contra me.

4 Cor eorum longe fecisti à disciplina, pro-  
pterea non exaltabuntur.

5 Prædam pollicetur sociis, & oculi filio-  
rum ejus deficient.

6 Posuit me quasi in proverbium vulgi,  
& exemplum sum coram eis.

7 Caligavit ab indignatione oculus meus,  
& membra mea quasi in nihil redacta sunt.

8 Stupebunt justi super hos , & innocens contra hypocritam suscitabitur.

9 Et tenebit justus viam suām , & mundis manibus addet fortitudinem.

10 Igitur omnes vos convertimini , & venite , & non inveniam in vobis ullū sapientem.

11 Dies mei trasierunt, cogitationes meæ, dissipatæ sunt, torquentes cor meum ,

12 Noctem verterunt in diem , & rursum post tenebras spero lucem.

13 Si sustinuero , infernus domus mea est , & in tenebris stravi lectulum meum.

14 Putredini dixi : Pater meus es , mater mea , & soror mea, vermis.

15 Ubi est ergo nunc præstolatio mea , & patientiam meam quis considerat ?

16 In profundissimum infernum descendenter omnia mea : putasne saltem ibi erit requies mihi ?



## PARAPHRASIS.



D mortem occiduus cursu contendo  
citato ;


Nec patitur dubitare, mihi qui spiritus  
ægrè

Ducitur , & solum superest sperare sepulchrum.

Sed , tam vita brevis cùm sit , cur tristis , amara ;  
 Tótque per ærumnas vel felicissima transit ?  
 Saltem cur solos non fors premit illa nocentes ?  
 His patior quoque plura egomet , qui criminis ex  
 Aut omni qui non potui si labe carere , ( pers  
 Sum certè enīsus veniam pietate mereti .  
 Méne adeo recti studiosum æquique fuisse ,  
 Ut voluant oculi lacrymarum flumina nostri ,  
 Et sint illa malis etiam non æqua dolendis ?  
 Ah Deus ! ah ! miserans his me precor eripe pœnis ;  
 In te tuta salus mea solo , spēsque , fidēsque ;  
 Méque velis si saluum , in me quæcumque potestas  
 Exurgat , furat in me hominum vis tota malorum ,  
 Intendant quamcumque velint , te judice , litem ,  
 Agnosces illos meditari prava , reōsque  
 Ulciscere , reum qui me voluere maligne ,  
 Hac ut sub specie mala jure viderer ab illis  
 Cuncta pati , posséntque suum satiare furorem ;  
 Obsequium falsò tibi tunc præstare professi ,  
 Illorum sed deripiet tua dextera larvam ,  
 Et quæcumque premunt latebroso in corde recludes ,  
 Imò aliunde tibi vario sunt criminē noti .  
 Hi sunt nempe illi , verum , & cœlestia legis  
 Qui temnunt mandata tuæ , renuuntque doceri ,  
 Infantes vexant , spoliántque , à me quoque prædam .  
 Sperabant , socios in partem jámque vocarant ,  
 Illorum sed spes , te sic statuente , recessit  
 In ventum , & vacuos ac ore reliquit hiante .  
 Divitias cumulandi illos quæcumque cupido  
 Accendat , nil proficient , inopésque manebunt  
 Illorum nati , frustraque alimenta petentum

Deficient oculi, dextram expectando benignam,  
 Quærendoque, velit quæ se præbere videndam,  
 Et surdas aures tabescet lingua laceffens.  
 Sic violare meam sunt ausi & rodere famam,  
 Credat ut à cunctis, sons, impius, hásque meteni  
 Criminibus pœnas, & vulgi ut fabula factus  
 Ducat in exemplum divinæ obnoxius iræ.  
 Exhausto jugi lacrymarum fonte, retrusæ  
 Caligant oculi, sunt in nihilumque redacta  
 Membra, soluta, nives quo more à sole liquecunt  
 Vir stupet ista bonus, spectans vis quanta malorum  
 Me premit insontem, nec non accenditur irâ  
 Illos contra, in me qui patrant impia, justi  
 Sub specie, pœnas déque illis sumere dextrâ  
 Ipse sua vellet, cœlōye accersere; rectâ  
 Non cessat tamen ire viâ, patienter & omnes  
 Se parat ad casus, finem expectatque supremum,  
 Quô merces diversa manet pravosque probosque.  
 Ergo & vos aliam juvet in me sumere mentem,  
 Pristino amicitiæ mecum qui fœdere nexi.  
 Aut commendabat quæ vos Sapientia nuper,  
 Vestro evincetur nunc esse in pectore nulla.  
 Ah! dolor heu vires intendit acerbior, ista  
 Dum loquor. Emensus spatiū sum denique vitæ,  
 Proxima vel certè meta est. Nec corpore tantum  
 Deficio, sed mente simul, nam languet & ipsa  
 Non aliter, socio sic juncta dolore, ruinam  
 Nectere communem mors ut videatur utrique,  
 Et tumulo mens ipsa velit cum corpore condi.  
 In tenebris lucem quæro, atque in luce tenebras;  
 Expectare vices nec possum aut ferre, quietis

Semper egens , ipsum dum méque miserrimus odi.  
 Cuncta ubi passus ero mors tandem lumina claudet.  
 Hanc spero , & ( dici si fas ) hanc obvius opto ,  
 Quæque parata mihi sedes obscura sepulchri.  
 In me nulla mora est , nec jam via longa ; putredo  
 Jam cognata mihi , quin & matérque , patérque ;  
 Sum fordente etenim putrique è sanguine cretus.  
 Fratres sunt vermes , nam pelle operimur eâdem ,  
 Eque mea sunt carne sati , pascuntur & illâ ,  
 Quique in terra habitât his jungi ut fratribus instant.  
 An sperare aliud valeam ? vel amicior ulla  
 Sit sedes ? aliam nostra aut patientia tandem  
 Mercedem expectet ? Mors est spes una , salúsque .  
 Cùm moriar , mecum cuncta hæc morientur amara ,  
 Hoc poterunt uno mala nostra quiescere fine .



## CAPUT XVIII.

*Baldad arguens Job jactantiæ & impatientiæ ,  
 describit impiorum maledictiones , ut suam  
 contra Job sententiam statuat , nempe ipsum  
 tantum propter peccata sua puniri .*

I **R**E S P O N D E N S autem Baldad  
 Suhites , dixit :  
 2 Usque ad quem finem ver-  
 ba jactabitis ? intelligite prius ,  
 & sic loquamur .

3 Quare reputati sumus ut jumenta, & sorduimus coram vobis?

4 Qui perdis animam tuam in furore tuo, numquid propter te derelinquetur terra, & transferentur rupes de loco suo?

5 Nonne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis ejus?

6 Lux obtenebrescat in tabernaculo illius, & lucerna, quæ super eum est, extinguetur,

7 Arctabuntur gressus virtutis ejus, & præcipitabit eum consilium suum.

8 Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis ejus ambulat.

9 Tenebitur planta illius laqueo, & exardescet contra cum sitis.

10 Abscondita est in terra pedica ejus, & decipula illius super semitam.

11 Undique terrebunt cum formidines, & involvent pedes ejus.

12 Attenuetur fame robur ejus, & inedia invadat costas illius.

13 Devoret pulchritudinem cutis ejus, consumat brachia illius primogenita mors.

14 Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, & calcet super eum, quasi rex, interitus.

15 Habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est, aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.

16 Deor-

16 Deorsum radices ejus siccentur , sursum autem atteratur messis ejus.

17 Memoria illius pereat de terra , & non celebretur nomen ejus in plateis.

18 Expellet eum de luce in tenebras , & de orbe transferet eum.

19 Non erit semen ejus neque progenies in populo suo , nec ullæ reliquiæ in regionibus ejus.

20 In die ejus stupebunt novissimi , & primos invadet horror.

21 Hæc sunt ergo tabernacula iniqui , & iste locus ejus qui ignorat Deum.

## PARAPHRASIS.

**H**ÆC Jobi responsa animo fert Baldad iniquo.


Infremit , & dictis sic contrà orditur amaris.

Anne tibi semper nugari , Jobe , licebit ?  
 Nuganti nec vos illi renuetis , amici ,  
 Aures præbere , & vacuas attendere voce s ?  
 Audi , Jobe , igitur , verè contentio quæ sit  
 Hæc nostra , & quo sit cogenda in cardine verti .  
 Non agitur , sorti si restituare priori .  
 Summa , caputque rei frustra tibi creditur illud .

Unum contendo, divinam incumbere rebus  
 Humanis euram, & nullum sine crimine plecti,  
 A Cœlo mittique bonis bona, ut & mala pravis.  
 Hoc certum, ac altâ maneat tibi mente repostum;  
 Tum dabitur placidis tecum contendere verbis.  
 Quis tuus ille furor, nos ut videaris habere  
 Non alio quām bruta loco, sordemus inepti  
 Sic tibi? Communi num nos dignabere sensu,  
 Nōsque vel imâ hominum patiere in sede locari?  
 Hoc saltem veteres à te exoremus amici.  
 Interea, nuper sapiens quām dissona sentis?  
 Molirisque tuis quam non toleranda querelis,  
 His animam rodēnsque tuam, Cœlūmque laceffens,  
 Te stolidæ sic inque Deum rapit impetus iræ?  
 Vitâ deque tuâ, simul & de morte loquentem  
 Sic dudum audimus, veluti si pendeat omnis  
 Hinc humana salus, téque hinc abeunte supersit  
 Hic nemo, aut totus digno vacet hospite mundus,  
 Mundus & ipse ruat, veluti quēm fulseris antè,  
 Emigréntque suo velut à fundamine rupes,  
 Atque tuâ mutent cum sorte ipsæ quoque sedem.  
 Expectas num fortè, Deus mandata refigat  
 Ut sua? quodque ægrè fers ipse ob crima plecti,  
 Ejus dextra tuam num devenerabitur iram,  
 Arbitrioque tuo statuetur pœna, modisque,  
 Inque tuâ num tu consultor habebere causâ?  
 An nescis, jucunda malis & prospera si qua  
 Contingunt, esse illa nothâ splendentia luce,  
 Defectumque pati properis obducta tenebris?  
 Desinit in teturum quæcumque hæc gloria fumum.  
 Deficiunt pravi in mediis conatibus; & dum

Ardua seellantur loca , devolvuntur ad ima.  
 Ipsa etiam illorum celerat prudentia lapsum ,  
 In laqueos ut ferri ultro atque in retia cedas.  
 Viscatas ut avis magis ac magis implicat alas ,  
 Conatu quo se majori exolvere certat ;  
 Ut motuque suo piscis sese altius hamo  
 Inservit ; haud aliter se nexibus impius arctat  
 Usque catenatis , seriisque hærentibus uncâ.  
 Improvisa autem subit ista asperima , pace  
 In media , quâ non poterant ex parte caveri ,  
 In planaque viâ foveæ sese induit haustu :  
 Tunc terror , tunc omnis eum circumfilit horror ;  
 Additur huicque fames , qui nō miseratus egentē est ,  
 Aut super incubuit , proprioque gravamine pressit .  
 Tunc , bene quæ curata cutis fuit , atque renideus ,  
 Arida tabescet , vultus decor omnis abibit ,  
 Deformi subeunte situ , maciisque voraci ,  
 Ossaque quæ rodens medias bibat ima medullas ,  
 Donec morte fames cumulet sævissima pœnas ,  
 Mortem dici unam si fas , complectitur omnes  
 Namque fames , totum depascens plurima corpus .  
 Ac neque pœnatum post mortem terminus hæret  
 Impij in exequiis ; divina incenditur ita  
 Illius inque domum , pereunte superstite prole ,  
 In quâ summa fuit spes & fiducia Patris .  
 Illam Mors calcat , crudelis more Tyranni ,  
 Ipsa Tyrannorum calcans quoque subdita colla .  
 Juris erunt alieni , amplis quas struxerat ædes  
 Sumptibus , intrito pressæ quoque sanguine plebis  
 Ac sudore , operum justâ mercede negatâ ,  
 Congestisve illuc spoliis , quæ mille rapinis

Et variâ fuerant miserorum strage parata.  
 Hæc quoque successor flammis & sulphure multo  
 Lustrabit, scelerum vestigia ne qua supersint.  
 Antè videbatur ramis felicibus arbor  
 Ad Cœlum tendens, alias super ardua sylvas;  
 Tumque erit huic similis, tota à radicibus imis  
Quæ versa in cineres flagranti fulminis iectu.  
 Deficiet clara illius quæ gloria fulsit;  
 Et latè iusonuit quæ laus tunc muta filebit,  
 Nec celebranda ultra, sed nec memorabilis ulli.  
 Solus & ille etiam non evanescet, at ipsæ  
 Tota simul soboles, ut nec vixisse sciatur  
 Ulla ex parte sui, sic mors premet undique totum,  
 Sic cæcæ involvent illius cuncta tenebræ.  
 Ejus in interitu summos invadet & imos  
 Fulmineus stupor; exemplo terribitur illo  
 Qui patratque eadem, quique est patrare paratus;  
 In rectâque viâ constans firmabitur insons.  
 Hæc est illa malis fors expectanda, Deumque  
Qui non agnoscunt, vel si nosse ore fatentur  
 Corde negant, solo vel sunt simulamine justi,  
 At quo se Deus haud patitur simulamine falli.  
 His accensendus, Jobe, an videare, licebit  
 Ob pœnas dubitate tuas; quare excute pectus  
 Ipse tuum, quô cœlestem contraxeris iram  
 Crimine; nec lapsum pudeat pigeâtre fateri,  
 Poscere sed veniam subeatque resurgentे cura.  
 Sicque tibi claram post densa hæc nubila lucem,  
 Quassatque rati portum spondemus amicum.



## CAPUT XIX.

*Job crudelitatis amicos arguens, se à Deo flagellari dicit immerito, non ob sua flagitia, sed ob alias justas causas: ostendens afflictionis acerbitatem, & se ab amicis destitutum, unde super futura resurrectione seipsum consolatur?*

- R**ESPONDENS autem Job, dixit:
- 1 Usquequò affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?
  - 2 En, deecies confunditis me, & non erubescitis opprimentes me.
  - 3 Nempe, etsi ignoravi, mecum erit ignorantia mea.
  - 4 At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis.
  - 5 Saltem nunc intelligite, quia Deus non a quo judicio affixerit me, & flagellis suis me cinxerit.
  - 6 Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiет: vociferabor, & non est qui judicet.
  - 7 Semitam meam circumsepsit, & transire

non possum , & in calle meo tenebras posuit.  
 9 Spoliavit me gloriā meā , & abstulit corronam de capite meo.

10 Destruxit me undique , & pereo , & quasi evulsæ arbore abstulit spem meam.

11 Iratus est contra me furor ejus , & sic me habuit quasi hostem suum.

12 Simul venerunt latrones ejus , & fecerunt sibi viam per me , & obsederunt in gyro tabernaculum meum.

13 Fratres meos longè fecit à me , & noti  
mei quasi alieni recesserunt à me.

14 Dereliquerunt me propinqui mei : &  
qui me noverant , obliiti sunt mei.

15 Inquilini domūs meæ , & ancillæ meæ,  
sicut alienum habuerunt me , & quasi peregrinus fui in oculis eorum.

16 Servum meum vocavi , & non respon-  
dit , ore proprio deprecabar illum.

17 Halitum meum exhorruit uxor mea,  
& orabam filios uteri mei.

18 Stulti quoque despiciebant me , & cum  
ab eis recessissem , detrahebant mihi.

19 Abominati sunt me , quondam consiliarii  
mei : & quem maximè diligebam , aver-  
satus est me.

20 Pelli meæ , consumptis carnibus , ad-

hæsit os meum , & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.

21 Miseremini mei,miseremini mei,saltem vos amici mei,quia manus Domini tetigit me.

22 Quare persequimini me sicut Deus , & carnis meis saturamini ?

23 Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei ? quis mihi det ut exarentur in libro

24 Stylo ferreo , & plumbi lamina , vel celte sculpantur in silice ?

25 Scio enim quod Redemptor meus vivit , & in novissimo die de terra surrecturus sum :

26 Et rursum circumdabor pelle mea , & in carne mea videbo Deum meum.

27 Quem visurus sum ego ipse , & oculi mei conspecturi sunt , & non aliis : reposita est hæc spes mea in sinu meo.

28 Quare ergo nunc dicitis : Persequamur eum , & radicem verbi inveniamus contra eum ?

29 Fugite ergo à facie gladii , quoniam ulti iniquitatum gladius est : & scitote esse judicium.

## PARAPHRASIS.



ALSA sub specie tot se sine more  
modoque  
Opprobriis, tam mordaci sermone  
lacesti

Jure indignatus respondit talia Iobus.  
Pernovi, cum de solitis ob crimina poenis  
Cœlitus infligi tam disseruistis abunde,  
Illorum fingi scelerum quæ maxima possunt  
Insimulasse reum vos me, summeque nocentem  
Me credi, summè quod sum miser ipse, nec ullus  
Ingemuisse potest simili sub mole malorum.  
At, quæ vestra tenax adeo sententia, tamque  
Hæc vexando in me vestra obfirmata voluntas?  
Iam decies repetita aures mihi dicta fatigant  
Hæc eadem, tinxirque mihi rubor ora, videnti  
Vos in me nullo jactantes probra pudore  
Continua, addentes sorti nova vulnera nostræ.  
Hujus erit tandem finisne gravaminis ulla?  
Si quid peccavi (namque haud fas dicere prorsus  
Me peccasse nihil) fuit hæc non culpa, sed error.  
Quid vos autem error, quidve ignorantia laedit  
Hæc mea? si poenam merui, poenam ipse subibo,  
At nolite illi gravius vos addere pondus.  
Hoc vos scire velim, vobis fixumque sedere,  
Me nulla aut saltem non nota ob crimina plecti,  
Et causâ indictâ, Deus hanc ut noverit unus,  
Et cæcis illam vobis sit querere vanum.

Sic clamo interea, meus aurea sydera perpes  
 Ut feriat clamor, nec sit qui me audiat æquus.  
 Sum circumseptus tenebris, nec si qua per illas  
 Sit via facta mihi detur tamen exitus, obstat  
 Nam simul oppositus munimine murus aheno,  
 Nec cæco proferre pedem de carcere possim.  
 Non opibus tantum sed sum spoliatus honore  
 Quocumque. Ornabat quæ me, derepta corona  
 Est capiti, fastuque jacet calcata superbo.  
 Quid plura? Ut solo patior quæ plurima verbo  
 Exequar, ex alto cecidi depresso ad ima,  
 Sicque, resurgendi spes ut mihi nulla supersit.  
 Non ego sum foliis nudata videntibus arbor,  
 Aut ad lucis iter ramos succisa minores,  
 Majorésve etiam, tradendos pabula flammis;  
 Sed quæ trunca omnis nullis radicibus hæret,  
 Strata solo; nec trabs regalibus aurea tectis  
 Aptanda, at turpi damnata putredine solvi.  
 In me tota Dei fervens desævit ira,  
 Hostem méque habuit, toto illi tempore fidum  
 Qui me gessi, illum colui qui semper honore  
 Quo potui, cuius cumulavi altaria donis.  
 Nec secus ac si forte illi sua visa fuisset  
 Non sat dextra gravis, prædonum armata furore  
 Insuper incubuit. Manibus mea cuncta cruentis  
 Diripiueret illi, & rabiem vicere luporum,  
 Sævius aut si quid Libycis stabulatur in antris.  
 Sperabam auxilio consanguinitate propinquos  
 Affore, & officiis mihi tot tantisque benignè  
 Devinctos, per me tranquilla pace fruentes,  
 Immensis opibus celsis & honoribus auctos.

Attamen hique simul me deseruere ; datamque  
Ejurare fidem, vel & ipsum avertere vultum  
Non puduit, quin & prorsus me hi nosse negarunt  
Voce, renatu alii, factisque immixtibus omnes.

Quid, quos pane meo, quos &, velut ubere mater,  
Ut natosque alui proprios (progressus in illos  
Namque amor huc noster) famuli se gratius in me  
Non habuere mei. Blande mihi namque vocati  
Aut audire negant, aut respondere gravantur,  
Auxiliatores nedum indignantur adesse.

Quid thalami consors, quae me mihi charior ipso  
Uxor erat ? gravis est illi nostri halitus oris,  
Nostra aversatur suspitia, nauseat illa,  
Fastidit gemitus, & nostri quidlibet horret,  
Adjurata licet communem, quae fuit ante,  
Per prolem, cuius menti non possit imago  
Non obversari, cuius debole nunquam  
Nomen, amorque; auri sed enim cano talia surda.  
Quare ex ancillis suscepitos vertere juvit  
Me tandem ad natos, sperantem scilicet illos  
Posse gradus meminisse sui, magis hincque vereti  
Posse patrem, qui non illos ut fortis habebat  
Servilis, sed legitimis æquabat amore.

At spe quam cecidi miserè deceptus inani ?  
Dimidiati illi patrant magis impia servi,  
Servili quam qui toti de sanguine creti.  
Me quoque, qui risum Scurræ per scòmata querunt,  
Præsentem spernunt, posticâ illudere sannâ  
Nostris totque malis haud insultare verentur.  
Illis subduco si me, tacitusque recedo,  
Me petulante magis strepero incessuntque cachino;

Nec norunt lepidi magis , ac magis esse dicaces ,  
 Quām cūm materies illis & fabula fio.  
 His tamen ignosco , minūs hæc me injuria tangit ;  
 Nempe accensendus stultis , quem stultus ad iram  
 Concitet. At leviter nequeo sapientibus illis  
 Succensere , quibus sum consultoribus usus ,  
 Donec res stabant , quōsque in secreta vocabam  
 Imperij. Avertunt se nunc , oculōsque retorquent  
 Conspectu à nostro ; nec se patiuntur aditi  
 Certabant lateti qui nostro hærcere sequaces.  
 Essent illa etiam toleranda utecumque , malorum  
 Ni magis urgeret me vis interna meorum ,  
 Et quibus haud certè quid possit atrocius addi.  
 Pelli namque mæ , consumptis carnibus , ossa  
 Hæserunt , ignisque vorat præcordia , vivax ,  
 Illi materies quamvis jam deficit omnis .  
 Ad questus tantūm mihi lingua & labra supersunt ,  
 Fortè etiam , reus ut siam , videarque mereri  
 Quas patior pœnas , si questibus astra laceſſam .  
 Impius ; at nostro Deus hoc avertat ab ore .  
 Vos saltem , ò habiti certâ mihi nuper , amici ,  
 Pectora juncta fide , subeat miseratio nostri .  
 Me Deus haud cruciat , simul ut crucietis & ipsi .  
 Utitur ille suo supremo jure , creatum  
 In quodcumque à se , legi nec subtrahor illi ;  
 Vos homines hominem , sine jure , & tale meretur  
 Qui nihil à vobis , animo vexatis iniquo ;  
 Et , fui amicitiæ qui fœdere junctus , ut hostis  
 Non solūm exagitor , verūm & me more ferarum  
 Dilaceratis , & immani discerpitis ore .  
 Ecquid enim est aliud , famam dum dente canino

Roditis usque meam , sceletumque impingitis atras  
 Dum maculas , non indicis , non testibus ullis ,  
 At vestræ ut fallax illudit opinio menti ?

O ! quæ verba meo damnatis in ore maligne ,  
 Quis det , ut æternum durent vulgata per ævum ;  
 Aut ære aut duro cælata in marmore , pœnæ  
 Cælenturque meæ pariter , quantâ arte licebit ,  
 Seraque posteritas causam diiudicet istam .

Ejus amet quanto æqua magis sententia ferri ?  
 Et quam vos nimii damnaverit illa severi ?  
 Desperare tamen non hæc me injuria cogit ,  
 Nec , mihi si vestrum desit solamen , ab omni  
 Me desertum alio credam ; namque opprimit ut me ,  
 Oppressum , mala nostra levans , Deus erget idem ;  
 Aut , his me in pœnis si vitam abrumpere malit ,  
 Spes me certa tenet vitæ melioris ad usum  
 Me revocandum , hujus renovandos corporis artus ,  
 Hæc ipsaque Deum præbendum in carne videri  
 Ipso à me , nec tunc alio ; mutabitur ista  
 Nam tantum vestis . Quæ nunc scatet ulcere pellis  
 In numero , Solis tunc lucem induta micabit .  
 Ergo tenax adeo cur hæc sententia sedet  
 Nos insectandi semper ? Sit terminus oro ;  
 Et sperate Deum memorem fandi atque nefandi ;  
 Illius & gladium fulmenque timete paratum ,  
 Criminibus qui me falsis oneratis iniquæ .

## CAPUT XX.

*Sophar verbis Iob motus, correptionem ipsius  
se dicit auditurum; & quæ sit apud Deum  
pars impii, multis verbis prosequitur.*

I **R**ESPONDENS autem Sophar Naamathites, dixit:  
2 Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, & mens  
in diversa rapitur.

3 Doctrinam, qua me arguis, audiam, &  
spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi.  
4 Hoc scio à principio, ex quo positus  
est homo super terram.

5 Quod laus impiorum brevis sit, & gau-  
dium hypocritæ ad instar puncti.

6 Si ascenderit usque ad cœlum superbia  
ejus, & caput ejus nubes tetigerit:

7 Quasi sterquilinium in fine perdetur: &  
qui eum viderant, dicent: Ubi est?

8 Velut somnium avolans non invenietur,  
transiet sicut visio nocturna.

9 Oculus, qui eum viderat, non videbit,  
neque ultra intuebitur eum locus suus.

10 Filii ejus atterentur egestate, & manus

illius reddent ei dolorem suum.

11 Offa ejus implebuntur vitiis adolescen-  
tiæ ejus , & cum eo in pulvere dormient.

12 Cum enim dulce fuerit in ore ejus  
malum , abscondet illud sub lingua sua.

13 Parcet illi , & non derelinquet illud,  
& celabit in gutture suo.

14 Panis ejus in utero illius vertetur in  
fel aspidum intrinsecus.

15 Divitias , quas devoravit , evomet , &  
de ventre illius extrahet eas Deus.

16 Caput aspidum suget , & occidet eum  
lingua viperæ.

17 ( Non videat rivulos fluminis , torren-  
tes mellis , & butyri .)

18 Luet quæ fecit omnia , nec tamen con-  
sumetur : juxta multitudinem ad inventio-  
num suarum , sic & sustinebit.

19 Quoniam confringens nudavit paupe-  
res : domum rapuit , & non ædificavit eam.

20 Nec est satiatus venter ejus : & cum  
habuerit quæ concupierat , possidere non  
poterit.

21 Non remansit de cibo ejus , & propte-  
rea nihil permanebit de bonis ejus.

22 Cum satiatus fuerit , arctabitur , æstu-  
bit , & omnis dolor irruet super eum.

23 Utinam impleatur venter ejus , ut emit-

tat in eum iram furoris sui , & pluat super illum bellum suum.

24 Fugiet arma ferrea , & irruet in arcum æreum.

25 Eductus , & egrediens de vagina sua , & fulgurans in amaritudine sua : vadent & venient super eum horribiles.

26 Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus , devorabit eum ignis , qui non succenditur , affligetur relictus in tabernaculo suo .

27 Revelabunt cœli iniquitatem ejus , & terra consurget adversus eum .

28 Apertum erit germen domus illius , detrahetur in die furoris Dei .

29 Hæc est pars hominis impii à Deo , & hæreditas verborum ejus à Domino .

## PARAPHRASIS.

**H**IS Sophar Jobi dictis exarsit amarè ,  
Utque erat affectus , voces erumpit  
in istas .

An te , Jobe , error , potiusve insania  
semper

Delusura eadem , monitus ut temnere nostros  
Non cesses , ipsosque in nos dira asper anheles ,

Ultorisque Dei gladium fulménque mineris?  
 Fervida sed postquam placidè tua dicta silentes  
 Audiimus, ratio nobis quæ suggerit audi.  
 Scilicet instamus solum hoc, tollatur ut error  
 Ille tuus, quô te credis sine crimine plecti.  
 At contrà pugnat ratio satis una superque,  
 Nam florere diù quæ laus tibi visa malorum?  
 Vel magis ad primum quæ non exaruit æstum?  
 Hoc à mundi ortu docet experientia constans.  
 Crimina falsarum quisquis velamine celat  
 Virtutum, & justi captat simulator honorem,  
 Captato fruitur, quô rumpit nubila fulgur  
 Momento, & flammis rutilat per inane coruscis.  
 Tangere si celso videatur vertice Cœlum,  
 Ipsum æquare Deum, vel & ipsum sede moveare  
 Velle suâ, terras non jam sed sydera calcans;  
 Turpis more fini videoas putrescere lapsum  
 Mox illum, cuius decus admirabile nuper  
 Defixos cunctorum oculos atque ora tenebat.  
 Quin etiam illius vestigia nulla supersint,  
 Et quæratur, ubi fuerit, qui cuncta replevit  
 Nominis antè sui terrore, volantéque famæ  
 Murmure, divinos illi clangentis honores.  
 Somnia quâ fugiunt levitate, illius abibit  
 Prosperitas; quin & dubitare licebit, an ulla  
 Extiterit, ceu quæ per somnum visa relinquunt  
 Nos dubios, quando est vigili lux redditâ menti.  
 Hunc qui mirati felicem, altóque superbum  
 Suspexere situ, vacuam mox esse videbunt  
 Sublimen hanc sedem, eversum fastuisque theatrum.  
 Posse sibi superesse quibus speraverat, ægram

In luctu vitam nati ærumnisque trahentes  
 Deficient, longum miseri, post funera nempe  
 Poenâ nequitiae sese extendente paternæ.  
 Olim à principio juvisset at illa cavere,  
 Motes nam fiunt quæ sis inolescere passus  
 Insita paulatim vitiorum elementa recentum,  
 Et quæ radices neglecta egere tenaces.  
 Se quibus immersit vitiis in flore juventæ  
 Impius, illius sensim senioris adhærent  
 Ossibus impacta, ac mediis interna medullis,  
 Ad tumulum gressu dum perveniatur eodem.  
 Ejus tanta animum lactat peccare voluptas,  
 Tantus inescat amor rapiendi, ultróque nocendi,  
 Aut quoicumque alio satiandi crimine sese,  
 Ut sit lurconi similis, cui dulcis edendus  
 Contigerit cibus; hunc avidis non faucibus haurit  
 Præcipitem, lentus spatio at versat in ore,  
 Eliquat attritum blandè, immulgetque palato,  
 Invito donec succus defluxerit omnis  
 Per guttur, vellet quod sesquipedale, doleretque,  
 Naturam gruibus magis hac in parte benignam;  
 Sic in corde foyet vitium, blanditur & illi,  
 Nec sinit avelli. Sed tam dulcescere visus  
 Melleus ille cibus fellis tingetur amaro  
 Non tantum, verum mutabitur inque venenum  
 Aspidis, immani quod viscera torreat æstu.  
 Hujus erit vis tanta, ut quas prædo ille voravit  
 Divitias populi, cogatur reddere, crudas  
 Evomat, & proprias juncto quoque flumine fundat,  
 Ut fuerunt ample in vomitu non sola revelli  
 Noxia, sed quæ sana simul non pauca cientur.

Aspidis ille sciet non tam lethale bibenti  
 Esse venenum, ut quas viduat immiseratus ademit  
 Pupilli quasve hausit opes, tutoe carentem  
 Quem male crediderat, sed cui Deus affuit ipse;  
 Nec vibrat similem mala tactu vipera morsum.  
 Per campos errare suos armenta, gregesque  
 Latè si videat, densaque ad mulcitra venire,  
 Affluxus si nullus opum nec copia desit  
 Ulla, diu lætis non his tamen ille fruetur.  
 Arescent pecudum manantis ab ubere lactis  
 Flumina, opumque labor per florea rura quiesceret,  
 Squalebunt mellis viduatæ nectare cellæ,  
 Cæteraque eradet justissima numinis ira.  
 Cuncta admissa luet, cunctas durabit & amplius  
 In pœnas, inconsumptus, sempérque novandus.  
 Optabit mortem, morsque aversata repellat  
 Urgentem sese; vivet, si vivere solis  
 Suppliciis vita est, nam tot sorbebit amara,  
 Quot sorbenda atrox alieno ingesserit ori.  
 Non expilavit solum, at nudavit egenum,  
 Evertitque domum, quam non erexerat ipse.  
 Non illum quodcumque avidè cumulaverit implet;  
 Quærendique famæ urget sine more, sitisque  
 Ingeminans, partis placide nec quæritur uit.  
 Ac, quia pauperibus negat ipsa superflua mensæ  
 Indulgere, quibus vitam sustentet egebit  
 Ipse idem, vindicta etenim Deus æqua rependet.  
 Qui se nunc effert ampli ditissimus agri,  
 Vicinosque dolis vel vi summovit apertâ,  
 Tempus erit, quando positum se cernat in arcto,  
 Æstuet, ipsa aderit nec respirate facultas,

Omnigenum turba circumfidente dolorum.  
 Ergo quô cœpit celeret pede , sit mora nulla ,  
 Impleat ad libitum mensuram , & crescat in horas  
 Illius impietas , mensurâ ut crescat eadem  
 Poena parata ; pluant & bella & fulmina cœlo ,  
 Exemplum terrqrue eadem patrantibus : arcus  
 Æreus hunc sigat , si ferrea fugerit arma.  
 Terreat indomitum vibratus in aëre fulgor  
 Flaminantis gladii , nullus non invulet horror ,  
 Excipiant aliisque alium , vel & agmine juncto  
 Insiliant , adsit nullus finisve modûlve.  
 Si quibus optarit sese occultare latebris ,  
 Acrior huc etiam subeat metus , horrida fingat  
 Monstra sibi , & veris occurrat major imago.  
 Involvant illum vivæ sine fomite flammæ ,  
 Quas divinus alit non sola in corpora flatus ,  
 Sed quæ depascunt animas quoque mole carentes.  
 Quos habet hæredes pœnâ efficiantur eadem .  
 Illum impugnabit quidquid complectitur orbis ,  
 Illius reteget , nequidquam abscondita , cœlum  
 Crimina. Terra illum quæ sustentaverit ægræ  
 Talia patrantes , pondus tumefacta scelestum  
 Horrendè excutiat ; testisque exurgat in illum ,  
 Aut sorbendo illi vasto discedat hiatu.  
 Tunc parta injustè clamque occultata patebunt ;  
 Nullæ tunc claves , sera nulla , ut ditis avari  
 Omnia succedant avidis contraria votis ,  
 Hoc & ab eventu discant qui talia patrant ,  
 Quam similis vitæ è vitâ solet exitus esse ,  
 Dispensante Deo Cœli de vertice fata.  
 Jamque oculos hæc , Jobe , tuos aperire , tuorum

Et poterunt reserare caput fontemque malorum;  
Ni placet usque , semel qui menti insederit error,  
Integer ut cupias , purus scelerisque videri.



## CAPUT XXI.

*Job patienter ab amicis audiri postulans , cau-  
sam inquirit quare impiorum nonnulli in fi-  
nem usque vitæ prosperentur , pii contra ad-  
versis cedantur , & respondet impium in diem  
perditionis à Deo servari : falsam amicorum  
consolationem per hoc convellens .*

1 **R**espondens autem Job , dixit :  
2 Audite quæso sermones  
meos , & agite pœnitentiam .  
3 Sustinete me , & ego lo-  
quar , & pòst mea , si videbitur ,  
verba ridete .

4 Numqnid contra hominem disputatio  
mea est , ut meritò non debeam contristari ?  
5 Attendite me , & obstupescite , & super-  
ponite digitum ori vestro :  
6 Et ego quando recordatus fuero , perti-  
mesco , & concutit carnem meam tremor .  
7 Quare ergo impii vivunt , sublevati sunt ,  
confortatique divitijs ?

8 Semen eorum permanet coram eis  
propinquorum turba & nepotum in con-  
spectu eorum.

9 Domus eorum securæ sunt & pacatæ, &  
non est virga Dei super illos.

10 Bos eorum concepit, & non abortivit:  
vacca peperit, & non est privata foetu suo.

11 Egrediuntur quasi greges parvuli eo-  
rum, & infantes eorum exultant lusibus.

12 Tenent tympanum, & citharam, & gau-  
dent ad sonitum organi.

13 Ducunt in bonis dies suos, & in pun-  
cto ad inferna descendunt.

14 Qui dixerunt Deo : Recede à nobis,  
& scienriam viarum tuarum nolumus.

15 Quis est omnipotens ut serviamus ei ?  
& quid nobis prodest si oraverimus illum ?

16 Veruntamen quia non sunt in manu  
eorum bona sua, consilium impiorum lon-  
gè sit à me.

17 Quoties lucerna impiorum extingue-  
tur & superveniet eis inundatio, & dolores  
dividet furoris sui ?

18 Erunt sicut paleæ ante faciem venti, &  
sicut favilla quam turbo dispergit.

19 Deus servabit filiis illius dolorem pa-  
tris: & cum reddiderit, tunc sciet.

20 Videbunt oculi ejus interfectionem

*suam , & de furore Omnipotentis bibet.*

*21 Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se ? & si numerus mensium ejus dimidetur ?*

*22 Nunquid Deum docebit quispiam scientiam , qui excelsos judicat ?*

*23 Iste moritur robustus & sanus , dives & felix .*

*24 Viscera ejus plena sunt adipe , & medullis ossa illius irrigantur :*

*25 Alius vero moritur in amaritudine animæ absque ullis opibus :*

*26 Et tamen simul in pulvere dormient , & vermes operient eos .*

*27 Certè novi cogitationes vestras , & sententias contra me iniquas .*

*28 Dicitis enim : Ubi est domus principis ? & ubi tabernacula impiorum ?*

*29 Interrogate quemlibet de viatoribus , & hæc eadem illum intelligere cognoscetis .*

*30 Quia in diem perditionis servatur malus , & ad diem furoris ducetur .*

*31 Quis arguet coram eo viam ejus ? & quæ fecit , quis reddet illi ?*

*32 Ipse ad sepulchra ducetur , & in congerie mortuorum vigilabit .*

*33 Dulcis fuit glareis Cocytii , & post se omnem hominem trahet , & ante se innumerabiles .*

34 Quomodo igitur consolamini me fru-  
stra, cum responsio vestra repugnare ostensa  
fit veritati?

## PARAPHRASIS.

**D**IESIERAT Sophar, sermonéque Jo-  
bus ab illo  
Perdidicit sōtem implacidē se sem-  
per haberi,  
Promeritūmque suas occulta ob cri-  
mina pœnas.

Ingemuit, voces & in istas ora resolvit.

Injustè mecum quamvis agitisque molestè,  
Fertur & à vobis de me sententia præceps,  
Et nudā è specie, primaque è fronte petita,  
Non possum vobis tamen haud ignoscere; falli  
Quis namque hīc nequeat? sed nos audite benigni  
His super, & ne vos pudeat meliora moneri.  
Rideri auditus patiar, ridenda locutus  
Si videar; nec vos longo sermone morabor.  
Est mihi vobiscum verè contentio nulla,  
Vel certè non magna; meā de cernitis ipsi  
Nam de sorte licet non æquè, erratis iniquo  
Non animo, apparent oculis mala dum mea vestris,  
Est déque occultis veniā purgabilis error;  
Rite licet tenebris cohiberi assensus in istis,  
Præsertim in causā veteris potuisset amici,  
Vobis nec potuit qui non utcumque probari;

Officiis & nonnullis , & cognitus usū  
 Sat longo , nullas animi paciente latebras .  
**I**ntegritas sed nota Deo mea cùm sit , & imo  
 Hanc in corde legat , simul innotescere vobis  
 Hac quoque quòd nolit , dubius stupeóq; querórque ,  
 Nostros námque alios cumulat dolor ille dolores .  
 Interea , quòd sic supremo à numine plector ,  
 Nescio quo fato , causâ penitusque latente ,  
 Cur tamen esse probum vos me justumque negatis ;  
 Cùm Deus ille idem sceleratos diter abunde  
 Tam multos , læta immittens & prospera quævis ?  
 Non odiſſe illos nequeat ; cur floret corum  
 Prole tamen pulchrâ domus , in seriémque nepotum  
 Se latè effundit , læto ipsi hōc germine gaudent ,  
 Januáque adversis aditūsque occluditur omnis ,  
 Et cum divitiis juncti accumulantur honores ?  
 Ipsiſ illorum gregibus quoque cura tuendis  
 Divina incumbit ; non inconcinnus ab illis  
 Eiicitur , præcepſve , suo non tempore , fœtus .  
 Ipsiſ ſumorū validi lac ſugunt dulce Puelli ,  
 Sorte ablactantur ſimili ; mox ducitur illis  
 Deliciis tota in mediis infantilis ætas ,  
 Luduntque , ut teneri pratis in mollibus agni ,  
 Illorum & ludis mirator plurimus aſtat ,  
 Suppeditanſque novos lufus puerascere geſtit ,  
 Balbutire ſimul , ſociasque infringere voces ,  
 Gratia quòd poſſit captari ambiſ parentum .  
 Tum firmare pedum poſtquam vestigia norunt ,  
 Molles ad numerum choreas saltūsque docentur ,  
 Atque aptare lyræ digitos & cantibus ora .  
 Sed neque ſuccedens vitæ diſconvenit ordo :


Nusquam

Nasquam interruptus devolvit prospera cursus.  
 Ac demum felix illud dissolvitur æcum,  
 Lento non morbo, lenta vel morte, sed horæ  
 Momento in tenues diffatur spiritus auras,  
 Et tumuli placidæ composti pace quiescunt.  
 Hanc verò his vitam virtus peperitne beatam?  
 Quin potius quas non mereantur pendere pœnas?  
 Hi sunt nempe illi, læta inter, dicere sueti,  
 Si quis; uti perhibent, Deus est, procul ille recedat  
 A nobis, habeatque sibi sua, sorte fruamur  
 Nos nostrâ, immineat nec nostris ille malignè  
 Invideatque bonis. Nugæ lex illa, meræque  
 Sunt fabellæ, hæc quæ nobis servanda feruntur  
 Mandata, & tricæ, quibus irretita voluptas  
 Se nostra impedit, cursumque moretur amœnum.  
 Omnipotentem alii fingant, & cuncta regentem  
 Ut lubet, & fingant, ægri quo somnia more;  
 Nobis erumpat Cœli de nubibus, & se  
 Admoveat, clarâ det sèque in luce videndum  
 Si volet ille coli, si se velit ille rogari.  
 Sin minùs, aëtium votis pulsatur inane  
 Nequidquam, vacuâsque preces jactantur in auras.  
 Præterea, quæ possessis meliora, dabitve  
 Majora? hæc totis amplecti juverit ulnis,  
 Hæc sit sola frui, non unde inquirere, cura.  
 Talibus oblatrant, verùm haud assentior illis  
 Non tantum, pariter sed corde & abominor ore.  
 Horrenda impetas à me procul illa facebat.  
 Fascinet hæc aliorum oculos, felixque videri  
 Nonnumquam valeat, latet his in floribus anguis,  
 Qui tandem occulto figat calcanea mortu,

Pravis namque bonus nequeat contingere finis.  
 Dicere vel præstet vanum esse hæc lucida fumum,  
 Ad tumulum vel cùm Deus est splendescere passus,  
 Tempore vel fulgere brevi, subitisque tenebris  
 Involvi, pronam hisque bonis undare malorum  
 Diluviem, lætisque pares instare dolores.  
 Pulveris in morem, paleæ, tenuisve favillæ  
 Vanescent, rapidâ consumpti fulminis irâ.  
 Antè tamen, quām di pereant, sævire videbunt  
 Natos inque suos, & sese extendere pœnam  
 In miseros, fecit sōntes quos sola parentum  
 Impietas, in prole etiam plectantur ut ipsi  
 Et nullâ non parte sui, noscatur & ulti  
 Quem sprevere Deum, & subeat sapientia sera.  
 Totum sic calicem superi sorbere furoris  
 Cogentur; quæ namque Deo de prole malorum  
 Sit cura, exitio velit ut superesse paterno,  
 Ramorum nec luxuriem cum stirpe recidat?  
 Id nisi cernatur semper contingere, raro  
 Deficit exemplo, causâ penitusque latente,  
 Inque Dei arcanis positâ, inquirique negatâ;  
 Nec fuerit tutum simili confidere sorti,  
 Interdumque Deum cæcum vel credere surdum,  
 At sit fixum animo pœnâ scelus omne piandum.  
 Mirari tamen hic subeat, cur tristia justis  
 Eveniant sæpe hæc eadem; nec certa videntur  
 Posse hinc signa peti, rectum ut secessat iniquo  
 Ambos in speciem plecti qui viderit æquè.  
 Hæc quoque sunt hominū divina abscondita menti;  
 Captum quodque suum superant, ea carpere censor  
 Contendat ne quis cæco temerarius ausu.

Consultoris eget forsan , moderetur ut orbem  
 Humanumque genus Cœlum qui numine torquet ?  
 Ergo ad cuncta Deo , nullo obluctamine , subdi  
 Nos juvet ; illius placitum quodcumque vereri  
 Amplectique , ejus censere à numine mitti  
 Nil , quod non justum , quod non sit & utile nobis ,  
 Tam diversa licet soleant contingere multa  
 Rebus in humanis , hunc ut videamus amicā  
 Longum sorte frui , læta illi cedere cuncta ,  
 Illius & vitam , veluti per amœna vireta  
 Ad designatam labi leni agmine metam ,  
 Ast alium contrà stimulos haurire dolorum  
 Continuos , & morborum cruciatibus ura  
 Perpetuis , cunctorum inopem quæ flagitat usus .  
 Sunt autem , dum vita manet , contraria tantum  
 Ista : ut primum etenim dives , pauperque , beatus  
 Et miser efflarunt animam , subeūntque sepulchrum ,  
 Conditio tunc est utriusque cadaveris æqua ,  
 Et neutri norunt putredo aut parcere vermes .  
 Sed quid ego hæc fundo nil proficiens verba ?  
 Vobis usque sedet ( mentis namque intima vestræ  
 Perspicio ) miserū quod cernitis , hinc quoque solum  
 Credere , metiri que meis mea criminis pœnis ;  
 Inque Dei contemptores , & legis & æqui  
 Indociles , sunt à vobis quæ dicta , latenter  
 Hæc in me directa , his me tacitumque notari .  
 Nam quid vestræ aliud potuere intendere voces ,  
 Principis illa domus cùm dicta est numinis ita  
 Eversa , & series nostrorum tota malorum  
 Est adeo vivis expressa coloribus , ut sim  
 Nomine suppresso tamen haud dubitabilis ulli ?

Scitari quovis à prætereunte juvabit, (orbem  
 Num, quocumque pedem tulerit, quascumque per  
 Lustrarit terras, eadēm sibi visa, scelestum  
 Scilicet haud omnem vitæ hōc in limite plecti,  
 Ærumnis justum patiter non hīcque carere,  
 Postera servari sed utrius ad tempora dignam  
 Mercedem? Interdum verò sine vindice vivit  
 Sic malus, ut nemo sese illi opponere, nemo  
 Audeat illum etiam verbo leviore monere,  
 Nedum humana queat vis ulla reposcere poenas.  
 Deinum ad marmoreum deducitur ille sepulchrum,  
 Pompā solemnī, comitantūmque agmine denso,  
 Viventis præpingue latus quod claudere fuerat.  
 Ipsa etiam credas venienti assurgere velle  
 Quæ priùs hīc fuerant mandata cadavera terræ,  
 Ut post mortem etiam solitos potiatur honores,  
 Oblitam proprii terram quoque ponderis, illum  
 Ne premat incumbens, sed ut am plectatur amicè.  
 Cernimus hæc, vestrum vixque inficiabitur ullus,  
 Forte suis nisi nubem oculis offundere malit.  
 Ecquæ vestra igitur ratio, quâ creditis æquum  
 Discerni à pravo, adversis, rebūsve secundis  
 Hæc in vitâ? ævo sunt hæc servanda sequenti.  
 Interea sit cura Dei decreta vereri,  
 Ac, illi placitum quodcumque, id credere justum.  
 Hōc uno à vobis poterant lenimine poenæ  
 Mulceri nostræ, sed sermo has vester acerbat,  
 Et quæ solandi tegitis simulamine probra;  
 Immetitūmque in me temerè & jactatis iniquè.



## CAPUT XXII.

*Eliphaz arguit Iob immisericordie in pauperum oppressione, & aliorum facinorum: ostendens ipsum de divina providentia non recte sentire, ac pænitenti bona promittens.*

1 **R**espondens autem Eliphaz The-  
manites, dixit:

2 Nunquid Deo potest com-  
parari homo, etiam cum per-  
fectæ fuerit scientiæ?

3 Quid prodest Deo, si justus fueris? aut  
quid ei confers, si inmaculata fuerit via tua?

4 Numquid timens arguet te, & veniet  
tecum in judicium.

5 Et non propter malitiam tuam pluri-  
mam, & infinitas iniquitates tuas?

6 Abstulisti enim pignus fratrum tuorum  
sine causa, & nudos spoliasti vestibus.

7 Aquam lasso non dedisti, & esurienti  
subtraxisti panem.

8 In fortitudine brachii tui possidebas  
terram, & potentissimus obtinebas eam.

9 Viduas dimisisti vacuas, & lacertos pu-  
pillorum comminuisti,

10 Propterea circumdatus es laqueis , & conturbat te formido subita.

11 Et putabas te tenebras non visurum, & impetu aquarum inundantium non oppressum iri ?

12 An non cogitas quod Deus excelsior cœlo sit , & super stellarum verticem sublimetur ?

13 Et dicas : Quid enim novit Deus ? & quasi per caliginem judicat.

14 Nubes latibulum ejus , nec nostra considerat , & circa cardines cœli perambulat.

15 Numquid semitam sæculorum custodire cupis , quam calcaverunt viri iniqui ?

16 Qui sublati sunt ante tempus suum , & fluvius subvertit fundamentum eorum :

17 Qui dicebant Deo : Recede à nobis : & quasi nihil posset facere Omnipotens , aestimabant eum :

18 Cum ille implexus est domus eorum bonis , quorum sententia procul sit à me.

19 Videbunt justi , & lætabuntur , & innocens subsannabit eos.

20 Nonne succisa est erectio eorum , & reliquias eorum devoravit ignis ?

21 Acquiesce igitur ei , & habeto pacem , & per hæc habebis fructus optimos.

22 Suscipe ex ore illius legem , & pone

sermones ejus in corde tuo.

23 Si reversus fueris ad omnipotentem,  
ædificaberis, & longe facies iniquitatem à  
tabernaculo tuo.

24 Dabit pro terra silicem, & pro silice  
torrentes aureos.

25 Eritque omnipotens contra hostes  
tuos, & argentum coacervabitur tibi.


26 Tunc super omnipotentem deliciis af-  
flues, & elevabis ad Deum faciem tuam.

27 Rogabis eum, & exaudiet te, vota  
tua reddes.

28 Decernes rem, & veniet tibi, & in viis  
tuis splendebit lumen.

29 Qui enim humiliatus fuerit, erit in  
gloria: & qui inclinaverit oculos, ipse sal-  
vabitur.

30 Salvabitur innocens, salvabitur autem  
in munditia manuum suarum.



## PARAPHRASIS.

**I**S poterat Jobi dictis Eliphaziū  
 aequum  
 Præbere assensum, veri si cura fuisset;  
 Nec vexandi animus, vinci malus &  
 pudor illum  
 Urgerent fictis, sine teste, sine indice, noxis  
 Jobum onerare iterum, ditisque incessere probris.  
 Ergo caput quassans in ameno hæc addidit ore.  
 Pars hominum, levis haud pretii sibi quisque videri  
 Asolet, errorem subeātque miserrimus istum.  
 Astet opaca ejus capiti nubecula, totum  
 Subtexi cœlum turbarique æthera credet  
 Immensum, tota illi ut si Natura laboreret.  
 Afficeris sic, Jobe, & tu; verum insuper addis  
 Huic culpam errori, non & tolerabile crimen.  
 Nostras dudum aures temeraria dicta fatigant  
 Hæc tua; mirarique subit, dum talia jaegas,  
 Cur te Terra ferat, tibi cur non ima dehiscat  
 Audenti curam convellere cuncta regentis  
 Äquâ lege Dei, moderamen carpere, nutu  
 Omnia velle tuo stare, arbitrioque moveri,  
 Ac denum pateris quodcumque id credere justum  
 Esse minus, scelerum nec pœnam hic nosse tuorum.  
 Scilicet immeritum si te ac siue criminè plestat,  
 Utilitas hinc ulla Deum tangētve voluptas?  
 Aut etiam, fueris si toto innoxius ævo,  
 Qualem te jaegas, tēque ambitiosius effers

Acced.

Accedētne Deo , fiat magis unde beatus ?  
 Ut contrā , nequam si te videātque scelestum ,  
 Castigare an te timeātque infligere pœnam ,  
 Atque suo justus perfungi munere Judex ?  
 Quæ pateris , demum te profiteare merentem ,  
 Atque tuorum unum te causam agnosce malorum ;  
 Nam , velut antè , mihi non jam dubitabere , culpā  
 Quin teneare aliquā , quæ divinam advocet iram .  
 Celari ut possint , nimirū tua crimina cuivis  
 Nota patent , nec tu voluisti occulta latere .  
 Seilicet , unde tuæ , scelerum nisi mille tuorum  
 Essent partus , opes ? Quis sic sine criminе dives  
 Crescat in immensum ? manifestis protinus hūc te  
 Grassatum non esse viis gradibusque fatemur ,  
 Nec reus inde tamen minūs es : fraus denique larvam  
 Ponit aperta suam . Rapuisti pignora fratrum  
 Atque propinquorum , laqueis nec se ære soluto  
 Expediere tuis ( nam de te & talia credi  
 Et pejora etiam fas est ) tibi præda fuere  
 Nil tibi debentes , visque est juri addita nulli .  
 Fiebat servus , quisquis tibi subditus , & jam  
 Nil erat omne tuum nisi vasta ergastula regnum .  
 Ipsos nec miseris sua tutabatur egestas ,  
 Ipsum nam nudum spoliabas , tegmine nedum  
 Cura operire fuit , cùm sit spoliator habendus  
 Non tantū qui vestitum denudat , at unā  
 Ille etiam , nudo qui non indulget amictum ;  
 Elutientem ut qui non paverit , ille necanti  
 Proximus , aut idem potius credatur habendus .  
 Nec non hāc & tu peccasti in parte ; negando  
 Vilis aquæ potu , vili recreare cibōque

Quem sitis vrebāt, te ructante ebria vīna;  
 Torquebātque fames, saturo te, ventréque pando.  
 Juris erat vis sola loco, & vicinia crimen,  
 Namque avidas vicina manus ad cuncta juvabat  
 Inicere, hæc ardor mox te inflammabat habendi,  
 Pupillis nec erat, viduis nec parcere cura;  
 Et qui sperabant te sub tutore levamen  
 Et fomenta malis, à te sensere gravari,  
 Dileptisque opibus lacrymas gemitusque relictos.  
 Hæc propter, circum laquei te & vincula cingunt.  
 Terrorēsque agitant, patet & via nulla saluti.  
 At, dum patrabas tot tantaque crima, nunquam  
 Venerat in mentem posse hanc tenebrescere lucem,  
 Posseque tam lātis contraria fata rependi,  
 In mediisque bonis fluctus undare malorum.  
 An non credebas Cœli qui sydera calcat,  
 Et tanto à nobis spatio qui distat, habere  
 Res illicque suas placidè, nec nostra morari;  
 Nubila per, non hūcque suas demittere curas,  
 Nos & ut ille latet, sic nos illūmque latere?  
 Huic satis esse, polos circa, circa ætheris axem  
 Versari, astrorum moderari numine cursus  
 Lucifluos, & quæ nos supra illæsa tueri,  
 Nec nostris animum morosè attendere rebus,  
 Hisque fatigari tetricâ stomachosiùs ira?  
 Scilicet illa Dei tibi fingebarūt imago.  
 At sedet hæc an fortè tuæ sententia menti  
 Nunc quoque & errores hominū sequerisne priorum,  
 Quos Terræ è facie properè Deus abstulit ultor  
 Erasitque, aut undivoro quos gurgite mersit?  
 Hūc usque illorum væsania cordis & oris

Est progressa , pudor sic est exhaustus & omnis ,  
 Ausi ut sint dixisse Deo , discede , facesse  
 A nobis . Quid religio , quid cultus inanis  
 Nos juvet ille tui ? vana est tua quæque potestas .  
 Est sibi quisque Deus , rerum & sibi quilibet autor .  
 Stulti , de Cælo qui læta & prospera cuncta  
 Non norant demissa sibi , vel nosse negabant ;  
 Ingeniove suo vel sorti accepta ferentes ,  
 Talia dum credunt , aut se dum credere fingunt ,  
 Certant ingrati minùs esse , minùsve videri .  
 Ast à me hæc oro vanescat opinio longè ;  
 Illa utinamque tibi sententia , Jobe , fuisset .  
 Illorum verò in numero tam tetra furentum  
 Cùm verè sis ipse , aut cùm videaris habendus  
 Non temerè , præbes meritò ludibria justis ,  
 Quoque soles illos , hòc te sermone lacessunt .  
 En , aiunt , quò faslus opum , quò gloria cessit .  
 Illa superba ? & quād modulum coguntur in arctum  
 Contracti , nullà poterant qui lege teneri ,  
 Nec se metiri spatio quantumlibet ampio ?  
 Quæ superesse queant tumidi vestigia luxūs ?  
 Vanescuntne aliter quæ flammâ absumpta voraci ?  
 Ergo consiliis aures animūmque benignum  
 His adhibe nostris , eor detumcātque rebelle .  
 Pacein ora , & cum quo nequeas bellare repugnans  
 Fœdus inire para . Tibi se præbabit amicum ,  
 Telaque deponens dextram protendet in eternum .  
 Ejus amicitiæ fructus gustabis optimos .  
 Ejus ab ore tui se lex in pectoris ima  
 Insinuet , tabulaque altè figatur in illâ ,  
 Marmore nec possit duróye perennius ære ,

Nec vis, nec series hanc temporis eximat ulla.  
 Sic certè, qui cunctipotens, totius & autor  
 Fonsque boni, qui te fatis agitavit acerbis,  
 Tot mersitque malis, tua damna resarciet idem.  
 Eque animo si culpa tuo decesserit exul,  
 Exul item, & nunquam redditura hæc omnis agetur  
 Ær umna, ac etiam meliore beabere sorte,  
 Quam cum nuper opes vix enumerare licebat.  
 Illarum si visa fuit fundamen arena,  
 Fundamen rupes fuerit mox jacta futuris,  
 Ut nullo posthac quassari turbine possint.  
 Quin & si qua tuis rupes sterilescet in arvis,  
 Mutari gemmis & dite jubebitur auro,  
 Flumina manabunt & eodem fœta metallo.  
 Hostis erit quicumque tuus, censebit & illum  
 Esse suum Deus, & propriis tutabitur armis  
 Nudis te manibus, tranquillâ & pace fruentem;  
 Et, vincente Deo, spoliis lætaberis ipse,  
 Solus ut à victis tibi sit labor illa referre.  
 Auxilio fretus tam firmo pura serenus  
 Gaudia percipies, atque his mutabis amara.  
 Filius ad Patrem quo vertitur ore benignum,  
 Suspicies hoc ipse Deum; potiere rogatis;  
 Quin & præveniet spontaneus ipse rogantem,  
 Vota etiam labris suscepta tacentibus implens,  
 Quorum sola fidem fuerit tua solvere cura.  
 Optabis, mox succendent optata, quid optes  
 Ipso etiam monstrante Deo, lucemque ferente  
 Præviam, & in cunctis præsenti numine semper.  
 Sic exaltatur qui se depresso; idem  
 Deptimitur, nimium rebus sublata secundis

Colla gerens. Habitac devexam hæc gloria vallem,  
 Et per descensum fit tantum enisus ad illam.  
 De se demissè qui sentit , vixque tueri  
 Cœlum audet , Cœli Regem ad se devocat alto  
 Illius è solio timidus , fruiturque vocato.  
 Hæc habet integritas , & mens innoxia , puræ  
 Et cum mente manus pietatis præmia. Verbum  
 Non addo ulteriū, Tu , Jobe , his utere dicitis.



## CAPUT XXIII.

*Job divinum judicium humiliter invocans ostendit se non puniri propter peccata sua, recteque sentire de providentia Dei incomprehensibilis, omnia pro sua voluntate facientis.*

1 **R**espondens autem Job , ait :  
 2 Nunc quoque in amaritudine est sermo meus , & manus  
 plagæ meæ aggravata est super  
 gemitum meum.

3 Quis mihi tribuat ut cognoscam & inveniam illum , & veniam usque ad solium ejus?

4 Ponam coram eo judicium , & os meum  
 replebo increpationibus.

5 Ut sciam verba quæ mihi respondeat ,  
 intelligam quid loquatur mihi.

6 Nolo multâ fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat.

7 Proponat æquitatem contra me, & perveniat ad victoriam judicium meum.

8 Si ad orientem iero, non appareret: si ad occidentem, non intelligam eum.

9 Si ad sinistram, quid agam? non apprehendam eum: si me vertam ad dexteram, non videobo illum.

10 Ipse verò scit viam meam, & probavit me quasi aurum, quod per ignem transit.

11 Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, & non declinavi ex ea.

12 A mandatis labiorum ejus non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris ejus.

13 Ipse enim solus est, & nemo avertere potest cogitationem ejus: & anima ejus quocumque voluit, hoc fecit.

14 Cum expleverit in me voluntatem suam, & alia multa similia presto sunt ei.

15 Et idcirco à facie ejus turbatus sum, & considerans eum, timore sollicitor.

16 Deus mollivit cor meum, Omnipotens conturbavit me.

17 Non enim perij propter imminentes nebras, nec faciem meam operuit caligo.

## PARAPHRASIS.

**N** se jacta ferens ægrè convicia Jobus  
 Respondere illis tamen haud digna-  
 tur, & unum  
 Esse Deum ratus, unde sibi solamen  
 adesset,  
 Cœlum suspiciens his cœpit vocibus uti.


Ecce novo pœnæ crudescunt vulnere nostræ,  
 Dum mordent stimulis ipsi me nuper amici  
 Acribus, incessunt probris, ultiroque fatigant  
 Immetitum. Si namque essem qui singor ab illis,  
 Impius, obluctansque Deo, tumidéque rebellis,  
 Me damnarem ipsum placidè, justumque subirem  
 Judicium, possémque meâ subscribere dextrâ.  
 At non ejus amor non & timor excidit unquam  
 Ex animo, non laùsque meo defecit in ore.  
 Quare, in totque malis solamine mulceor uno,  
 Insontem sôntem ve hominum quod opinio non me  
 Est fecisse potens. Deus est cui stóque cadóque,  
 Cujus sola potest de me sententia ferri  
 Legitimè, causæ estque meæ qui cognitor unus.  
 Ast ubinam me sistam illi, pandam intima cordis,  
 Detur & alternas audire & reddere voces?  
 Nec tamen est animus vires conferre, trahatur  
 Certatim dextris ut serra reciproca nostris.  
 Opprimet illius subito me summa potestas,  
 Mole pedis eeu muscam Elephas protriverit ingens.  
 Viribus at non ille solet præfractior uti

Cum cedente sibi , & totum devoluere pondus ,  
 Certat jure & quus , simul & ratione benignus ,  
 Et gaudet vinci , pœnâque remittere cogi ,  
 Strictum jamque ensem vaginae reddere siccum .  
 Sic , mea cùm fuerit lis contestata , solutum  
 Non dubito quin ipsa ejus me dextra coronet .  
 Quærenti tamen ille loco non obvius ullo  
 Fit mihi , cuncta suo quamvis sit numine complens .  
 An refugit ? ( nostrorum esset quæ summa malorum )  
 A me nec patitur reperiri ? Infidus amicis  
 Cernimus à misericordia ut se subducit amicus ;  
 Horret tale Deo sed mens affingere quidquam ,  
 Nec tamen interea non me hæc secessio turbat .  
 Solis ad occasum nempe illum & Solis ad ortum  
 Vestigans , atque æstus ubi frigusque perenne ,  
 Non illum invenio , labor est & inutilis omnis .  
 Me videt ille tamen , meque extra novit & intus .  
 Nec satis est illi cordis nosse intima nostri ;  
 His & me æruimis aurum velut igne probavit ,  
 Idque in lucro habeo ; namque aurum ut purius exit  
 E fornace , potest meus illi hinc notior esse  
 Ejus armor , quô mandatis haud devius hæsi .  
 Quare , Eliphaz , cur me sic hortarisque jubésque  
 Legis inire vias , omni mihi tempore tritas ,  
 Pes quibus insistens latum haud deflexerit unguem ?  
 Quandocumque Dei mihi vox audita , fuitve  
 Inspirata , illam mediae ad penetralia mentis  
 Admovi , & mansit toto indelebilis ævo .  
 Sat mihi nosse , ejus qui nutus , quæque voluntas ;  
 Inquiero nihil ultrà , ut sim parere paratus ;  
 Nam nec posse illum falli , nec fallere , novi ,

Illiisque

Illiusque à judicio qui provocet, esse  
 Mortalem nullum, quique illi fixa refigat,  
 Ejus & infringat decreta adamantina, retro  
 Vel cogat verti quæ jam sententia sedit.  
 In me perficiet, quodcumque videbitur, anget,  
 Torquebit, non me quibus huc exercuit usque  
 Ærumnis solis, sed quot volet insuper addet,  
 Imponet quis namque modum? præsentibus ergo  
 Non crucior tantum, verum exigitque futuris,  
 Si volet & me aliis onerari, aut si qua volenti  
 Possunt esse super, nec jam est exhausta pharetra.  
 Cor liquefit ceu cera meum, quatiorque tremore  
 Ejus ab irata facie, meque unica terret  
 Ejus majestas; homines nam nil moror omnes.  
 Temnens humana, hisque parem me spondeo, solum  
 Est superum cum quo nequeam contendere numen,  
 Et sola his mergit me lux divina tenebris,  
 Conturbat quæ me, & nequeo quam ferre, minacem  
 Qualis hiante polo vibratur fulguris ignis.





## CAPUT XXIV.

*Job , ut recte se sentire ostendat de divina prouidentia , dicit Deo nota esse tempora , & hominum varias recenset iniquitates , ad ipso puniendas .*

1  B Omnipotente non sunt abscondita tempora : qui autem noverunt eum , ignorant dies illius .

2 Alii terminos transtulerunt , diripuerunt greges , & paverunt eos .

2 Asinum pupillorum abegerunt , & abstulerunt pro pignore bovem viduæ .

4 Subverterunt pauperum viam , & oppresserunt pariter mansuetos terræ .

5 Alii quasi onagri in deserto egreduntur ad opus suum : vigilantes ad prædam , præparant panem liberis .

6 Agrum non suum demetunt : & vineam ejus , quem vi oppresserint , vindemiant .

7 Nudos dimittunt homines , indumenta tollentes , quibus non est operimentum in frigore :

8 Quos imbres montium rigant : & non  
habentes velamen., amplexantur lapides.

9 Vim fecerunt deprædantes pupillos , &  
vulgum pauperem spoliaverunt.

10 Nudis & incedentibus absque vestitu ,  
& esurientibus tulerunt spicas.

11 Inter acervos eorum meridiati sunt ,  
qui calcatis torcularibus sitiunt.

12 De civitatibus fecerunt viros gemere ,  
& anima vulneratorum clamavit , & Deus  
inultum abire non patitur.

13 Ipsi fuerunt rebelles lumini , nescierunt  
vias ejus , nec reversi sunt per semitas ejus.

14 Mane primo consurgit homicida , in-  
terficit egenum & pauperem : per noctem  
vero erit quasi fur.

15 Oculus adulteri observat caliginem ,  
dicens : Non me videbit oculus : & operiet  
vultum suum.

16 Perfodit in tenebris domos , sicut in die  
condixerant sibi , & ignoraverunt lucem ,

17 Si subito apparuerit aurora , arbitran-  
tur umbram mortis : & sic in tenebris quasi  
in luce ambulant.

18 Levis est super faciem aquæ : maledicta  
sit pars ejus in terra , nec ambulet per viam  
vincarum.

19 Ad nimium calorem transeat ab aquis

nivium , & usque ad inferos peccatum illius.

20 Obliviscatur ejus misericordia : dulcedo illius vermes : non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.

21 Pavit enim sterilem , quæ non parit, & viduæ bene non fecit.

22 Detraxit fortis in fortitudine sua : & cum steterit , non credet vitæ suæ.

23 Dedit ei Deus locum poenitentiaz , & ille abutitur eo in superbiam : oculi autem ejus sunt in viis illius.

24 Elevati sunt ad modicum , & non subsistent , & humiliabuntur sicut omnia , & auferentur , & sicut summitates spicarum conterentur.

25 Quod si non est ita , quis me potest arguere esse mentitum , & ponere ante Deum verba mea ?



## PARAPHRASIS.



UBSTITIT h̄ic Jobus , rursusque  
his vocibus infit.

Esse occulta Deo , quæ condidit ipse ;  
putemus

Tempora? Momento subeat quō quidque futurum,  
Quō tenebrisque premi juvet, in lucemque vocari,

Pernovit solus, latet ipsos ejus amantes,  
 Est à secretis nec de cœlestibus ullus.  
 Immiscere illis tamen audet homuncio sese.  
 Est, fingat qui nosse Deum, stolidéque loquatur  
 Illius de consiliis, quibus inter & esse  
 Vult credi, ignorat qui se, vitæque supersint  
 Quæ momenta suæ. Commissa aliena malignè  
 Rimatur, jam de propriis damnatus. Iniquum  
 Hunc putat, hōc uno, miserū quod cernit; & æquum  
 Insontemque alium, fruitur quia sorte secundâ.  
 Ast in utroque errat, quod nēpe haud tempora novit  
 Soli nota Deo, servat qui debita cuique  
 Tempus ad ulterius, sed quam nescitur in horam.  
 Vivitur interea quâ quisque libidine fertur,  
 Cæco ut cuncta regi nutu videantur, & ipse  
 Connivere malis Deus, & permittere fræna.  
 Eminet ut quisque & pollens est viribus, ejus,  
 Fas omne abrumpens, grassatur sœva Tyrannis.  
 Vicino limes positus convellitur agro,  
 In prædámque greges alieni, & pascua cedunt  
 Ipsa simul; non pupillo vis parcit avara,  
 Non viduæ; ast illis asinūisque abducitur, & bos,  
 Vitæ qui fuerant tenuis miseræque levamen.  
 Circumquaque vias alii ob sedere frequentes,  
 Et pede quos cernunt incauto incedere, quique  
 Se legum & juris credunt munimine tutos  
 Infesti insiliunt. Sunt qui sylvasque petentes,  
 Insidiisque loca & tenebrosæ accommoda fraudi,  
 Hic latrociniis & cæde & sanguine pascunt  
 Séque suosque, feris vivuntque immaniùs ipsis,  
 Quas inter dum versantur, videantur carum

Naturam induti , rabidum quoque vincere pectus.  
 Arua aliena metunt , quibus ipsi semina nulla  
 Mandarunt ; & quæ nullo sibi culta labore  
 Expoliant viduantque suis vineta racemis.  
 Insultare ipsis etiam cultoribus audent ,  
 Adduntque impuni ludumque jocumque rapinæ.  
 Nudos dimitunt , etiam qui paupere veste  
 Induti , & vili qui se centone tegebant ,  
 Ut sic hybernæ nequeant cum ferre pruinæ ,  
 Valles se subdant in apricas , inque caverias ,  
 Et sese occultent exesi in fornice saxi.  
 Hinc etiamque famæ miseros quando exigit illos ,  
 Si spicas legere aliquas , properante relictas  
 A messore , his eripitur solamen & illud ,  
 Summi neceleris quid prætereatur inausum.  
 Quæ rapuere vorant avidi , præsentibus ipsis  
 Sunt quibus erepta ; atque fame marcere sitique  
 Permittunt , illis qui vina dapésque pararant.  
 Nec satis est campos his infestare nefandis  
 Criminibus ; piget hæc sylvestribus abdere lustris ;  
 Urbibus immiscent & se , totisque per illas  
 Tempestate furunt simili , rapiuntque , trahuntque ,  
 Et geinitus hinc inde cinct lacrymásque perennes ,  
 Dum Deus impunes demum haud patiatur abiit .  
 Nec tamen hæc possunt sic perpetrare , tenebris  
 Cordis in obscuris , quin lux affulgeat ulla  
 E cœlo , monstréque viæ prærupta , videre  
 Sed renuunt , oculos luci occluduntque rebelles ,  
 Inque sequenda negant , illâ præeunte , reduci .  
 Est , summo surgit qui manè , operique viæque  
 Qui sese accingunt perimit , spoliatque peremptos ,

Mox in luce latet ; ceu nil admiserit. Idem  
 Nox ubi tellurem nigris amplectitur alis,  
 Ad furta egreditur , caligine fretus amicâ ,  
 Arbiter est sceleris dum nullus , nullus & index.  
 Sic noctem furtisque suis prætendit adulter ,  
 Et clam condictam repit sinuosus ad horam ,  
 Pérque fores, pretio vel quas facit arte patentes ,  
 Admissus , palpante regit vestigia dextrâ ,  
 Dum fallatque homines credit paritéque latere  
 Posse Deum. Non me ille , inquit , visurus , opaco  
 Hoc cœlo ; nec , quâm fertur , tam cernit acutum.  
 Mox illi præsto Mœcha est , fruitûrque cupitâ ,  
 Fertivis se stultus aquis ingurgitat illis  
 Insatiabiliter , dum lux inimica propinquat ;  
 Quæ postquam accessit , non advertentibus ipsis ,  
 Illorum in cæcæ fervore libidinis orta ,  
 Aut jam defessis ; somno incautéque sepultis ,  
 Ingratam qui diffudit per membra quietem ,  
 Exanimes trepidant , ne , quæ mortalibus alma  
 Lux oritur reliquis , & lampade fulget amœnâ ,  
 Ad Mortis tenebras ipsos detrudat amaras ,  
 Ilicet ad pœnam raptos , ultore marito ,  
 Eluat incesto dirum qui sanguine probrum.  
 Sieque voluptatem conterminus excipit angor .  
 Aut hunc eludi si quâ vel sorte vel arte  
 Contigerit nonnumquam , aliud servatur in ævum .  
 More fluunt undæ mala gaudia , transit iniquè  
 Gaudens ipse simul , pœnâ at sine vindice nunquam .  
 Ac , liceat voto si nostro arcessere tempus ,  
 Ut timeant jam nunc eadem patrare parantes ,  
 Ejus ad exemplum ne peccent , jure precabor ,

Illi Terra neget messem sua , sentibus hirta ,  
 Vinea labruscas tantum , nec proferat uvas ,  
 Frigore nunc in summo , & nunc versetur in æstu ,  
 Ad tumulum discors hæc per diversa feratur .  
 Hunc oblitæ Dei miseratio rebus in artis  
 Prætereat , pascat vivo quoque corpore vermes ;  
 Temnatur , lignum ceu putre à stirpe recisum .  
 Scortator turpis meretricum exarsit amore ,  
 Illarum & partus ( florente diutiis uti  
 Ut posset formâ , vel quod prolisque pigeret  
 Invito conceptæ ) atrox per crimen abegit ,  
 Nondum formatum delens in semine fœtum ,  
 Nondum natum hominem præceps homicida truci-  
 Prædans interea viduas vexansque pudicas , (dans ,  
 Pupillasque , quibus vim frustra inferre pararat .  
 Ac demum invalido postquam est in paupere vires  
 Expertus , dites etiam fortisque subegit ,  
 Nec tunc securus , nam credita proxima semper  
 Est vindicta , malis nunquam inter crima tutis ,  
 Pectoris haudque sui sedare potentibus æstum .  
 Est , ut pœnitentia , dilatum ad tempus acerbum  
 Supplicium , infræni mora sed fit inutilis illa ,  
 Fertur in abruptum præceps magis , atque sequentem  
 Non videt usque Deū , & vestigia cuncta prementem ,  
 Flammeus adductas iræ dum laxet habenas .  
 Impius ad libitum lœtâ permittitur aurâ  
 Attolli , se divitiis & honoribus effert ;  
 At , vapor ut medio festinat in aëre solvi ,  
 Ac , veluti stipulâ marcescit spica relicta ,  
 Grandine cum cecidit decussa , aut tunsa flagello ,  
 Sic pravi vastantur opes , & gloria transfit .

Hæc ni se , quā dixi , habeant ratione , modōque ,  
 Lætis nempe mali rebus ni sæpe fruantur  
 Ad tempus , ni sōrsque bonos premat aspera multos ,  
 Arguar , ut mendax , jure & me credite plecti ,  
 Credite méque reum tanta sub mole malorum :  
 Judicium patiar nullo obluctamine vestrum .



## C A P U T XXV.

*Baldad ex Dei sublimitate & hominis humilitate , negat hominem Deo comparatum justificari posse .*

**R**E S P O N D E N S autem Baldad  
 Suhites , dixit :  
 2 Potestas & terror apud eum  
 est , qui facit concordiam in su-  
 blimibus suis .

3 Numquid est numerus militum ejus ? &  
 super quem non surget lumen illius ?

4 Numquid justificari potest homo com-  
 paratus Deo , aut apparere mundus natus  
 de muliere ?

5 Ecce Luna etiam non splendet : & stellæ  
 non sunt mundæ in conspectu ejus :

6 Quanto magis homo putredo , & filius  
 hominis vermis ?

## PARAPHRASIS.

**D**ESIERAT Jobus, cœpit cùm tali Baldad.  
 Quàm metuo, ne cum Judex tibi  
 poscitur altâ  
 E Cœli regione Deus, non noveris, ejus  
 Quæ sit Majestas, & quanta potentia, quámque  
 Cuncta videnti illi nequeas contendere sanus!  
 Magnificè de te, déque illo, Jobe, videris  
 Demissè nimium sentire, & vana tumere,  
 Ipse nimis. Quare & pennas & contrahe vela,  
 Et minùs immunis culpæ patiaris haberi.  
 Summum nosse negas numen, dum nomen ad ipsum  
 Non tremis illius, nedum, hòc cùm judice gaudes.  
 Hic ille est, cuius nutu Cœli ordine constant  
 Perpetuo, sub quo pugnant elementa, simûlque  
 Conveniunt, quibus & leges & foedera sancit,  
 Cœlestes & qui mentes moderansque regensque  
 Has sua perceleres habet ad mandata ministras,  
 Quas qui dinumeret numerum censebit arenæ.  
 Solæ nec parent illæ, sed in orbe creatum  
 Quidquid inest toto fit jussa capessere promptum.  
 Insuper ille suo quæ non loca lumine lustrat?  
 Ejus séque oculis quid tam subduxerit imum?  
 Quem tantum nequeant illi penetrare recessum?  
 Hæc propter, quàm se temerarius efferat omnis,  
 Quámque superbus homo, jactet qui lumen ad illud  
 Se purum & mundum, seque omni labe carentem?

Anne huc usque suæ sic possit originis esse  
 Oblitus, sit maternæ sic immeior alui,  
 Unde tot est inter fæces, tot sordida, natus,  
 Unde tot & menti maculas contraxit inustas?  
 Cernis, ut affulget Luna orbe argentea pleno,  
 Noctis ut ille oculus, nocturnus Solque, tenebras  
 Vix minùs evincens, mater tacitura quietis,  
 Duxque viatorum, Solis quibus abdita lampas?  
 Cernis, stellarum simul ut chorus ille, facésque  
 Illæ immortales, Cæliè laquearibus aureis  
 Pendentes lychni fulvo aëra lumen pingunt,  
 Exponunt specimen divinæ nobile pompæ,  
 Autorisque hymnis celebrant præconia mutis?  
 Hoc satis aspectu nequeant tua lumina pasci,  
 Mirari nequeásque satis, nequeamus & ipsi.  
 At Deus hanc, nobis tam puram, tamque nitentem  
 Dum cernit lucem, maculas quoque cernit inesse,  
 Et suo inexhausto radios de fonte minutos,  
 Exilésque, ignes vix derivavit in illos,  
 Hos adimitque volens, atrâ & caligine mergit.  
 Lucem namque astris, & nobis illius usum  
 Fœnerat, atque ipsū penes est tempusque modusque.  
 Terreus ergo, & qui cœlesti distat ab illa  
 Materiâ tam longè, ipsis putredine cretus  
 Vermibus affinis, divinis sistere purum  
 Credet homo se posse oculis? Insania quænam  
 Hæc tanta? hærentem tumidæ, Jobe, excute menti.  
 Culpis ut careas aliis, satis una superque  
 Tefacit ista reum, pœnas merearis ut omnes  
 Quas pateris, ni prompta adsit resipiscere cura.



## CAPUT XXVI.

*Iob dicit nullum Deo ab homine auxilium prestatari posse; Dei incomprehensibilem potentiam ex ipsis operibus demonstrans.*

1  Espondens autem Job , dixit:  
2 Cujus adjutor es ? numquid imbecillis ? & sustentas  
brachium ejus , qui non est  
fortis ?

3 Cui dedisti consilium ? forsitan illi , qui  
non habet sapientiam , & prudentiam tuam  
ostendisti plurimam .

4 Quem docere voluisti ? nonne eum , qui  
fecit spiramentum ?

5 Ecce gigantes gemunt sub aquis , & qui  
habitant cum eis .

6 Nudus est infernus coram illo , & nullum est operimentum perditioni .

7 Qui extendit Aquilonem super vacuum ,  
& appendit terram super nihilum .

8 Qui ligat aquas in nubibus suis , ut non  
erumpant pariter deorsum .

9 Qui tenet vultum solii sui , & expandit

super illud nebulam suam.


10 Terminum circumdedit aquis , usque  
dum finiantur lux & tenebræ.

11 Columnæ cœli contremiscunt , & pa-  
vent ad nutum ejus.

12 In fortitudine illius repente maria con-  
gregata sunt , & prudentia ejus percussit su-  
perbum.

13 Spiritus ejus ornavit cœlos : & obste-  
tricante manu ejus , eductus est coluber tor-  
tuosus.

14 Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum  
ejus : & cum vix parvam stillam sermonis  
ejus audierimus , quis poterit tonitruum ma-  
gnitudinis illius intueri ?



### P A R A P H R A S I S.

**O B U S** ut illa Dei de Majestate lo-  
cutum

Audivit Baldad , renuens tam divite  
vinci

Hæc in materiâ , sic est ea dicta secutus .  
Quam bene te , Baldad , par est de numine credi  
Promeritum , illius partes qui robore linguæ  
Firmasti tanto ; voluisti quique præire ,  
Et quid agendum illi , via quæque tenenda , docere ?  
Absque tuâ foret actu opera , curâ hæc que magistrâ ,

Rerum de summâ , Mundi regiméne vacaret.  
 Est bene saltem , orbis quòd de moderamine recte  
 Sentire , ac per te moderantem novimus ipsum ,  
 Prorsus quem nobis ignotum es credere visus.  
 Non ope , me contra , non consilioque juvari  
 Ille tuo velit , atque tuas sibi jungere vires.  
 Illius causæ vana est tua cura timere ,  
 Ejus velle tuâ fulciri brachia dextrâ.  
 Annon ille ipsi vitæ tibi munus , & ore  
 Cœlum haurire dedit lumen vitale trahenti?  
 Hancque facultatem renovet nisi qualibet horâ,  
 Momento & quovis , primum mox nonne redibis  
 In nihilum ? totus num jamque precarius extas?  
 Ipsi eriminibus visi astra laceſſere , Cœlo  
 Bellum inferre , undâ sunt hausti ultrice , Noachi  
 Illo in diluvio , pœnásque dedere gigantes ,  
 Et qui sunt illos ausu propiore fecuti.  
 Inferni penetrat Deus intima clauſtra , videtque  
 Hic agitur quidquid , potiusve hic omnia fiunt  
 Illius ad nutum , reliquo ceu quidquid in orbe ;  
 Quod Cœli convexa tegunt , quòdque eminet ultra.  
 Diffudit liquidum verrentes aëra ventos ,  
 Omnibus in terris à vespere Solis ad ortum ,  
 Horum ut mente capi nullâ miracula possint.  
 Cuncta sed illa suo ſuperat præsignis inani  
 Terra ſitu , ſe nixa ſuper , medii aëris antro  
 In vacuo , rerumque manens commune Theatrum ;  
 Omniparens , quovis & pondere nata gravari ;  
 Montibus aëriis , rectis ſubstrata superbis  
 Fundamen , motûs expers , & mole ſuâ ſtans ,  
 Hanc ſuper , in motu dum cuncta , & perpetu fluxu ,

Denique, ut est Cœlum superis, sic hæc quoque sedes  
 Est homini, excipiens natum genialis, alénsque,  
 Complectensque sinu, cùm vitæ est lumine cassus,  
 Et grave, cum titulis, gestans decus omne sepulchri,  
 Humana imponi quodcumque superbia certat,  
 Attollens seris monumenta loquacia sæclis,  
 Marmoreas quæ parva regant corpuscula rupes.  
 Sustineat cùm cuncta tamen, nil sustinet ipsam  
 In se collectam; aut puncto tantum incubat uni,  
 Centro nempe suo, seque illo libratur in axe,  
 In neutrum devexa latus. Miraris? at idem  
 Tot miranda patrans facti est Deus illius autor,  
 Cui nec dextram adhibet, nudi sed pondera verbi.  
 Nubibus ille cavis Cœlum prætexit, & illas  
 Sic libratur cum quo suspendit in aëre, justo  
 Per medium que jubet sic ferri siveque natare  
 Pondere, ut unda illic videatur fluxa ligari,  
 Servarique, aptos ut derivetur in usus.  
 Hanc mox guttatum dispensat, & impete rumpit  
 Præcipiti prohibet, Cœlique imitante ruinam,  
 Vasta daret quæ cuncta; instar sed roris amoeni  
 Exhilarare jubet vitali cuncta liquore.  
 Hic quoque quò spatiū spargatur in amplius humor,  
 Prægnantes nubes huc permittuntur & illuc  
 Impelli à ventis, non casu, aut flamine cæco,  
 Sed Dei ad arbitrium, nutuque regente supremo,  
 Ut, quibus expeditat, possint loca quæque rigari.  
 Nunc solium regale suum, sublime, coruscum,  
 Cœlum nempe, placet nobis aperire, suæque  
 Hanc Majestatis sedem; nunc velat eamdem  
 Nubibus, at vultu nobis in utroque verendus.



Jam quis non stupeat matis illa repagula, legem  
 Sicque datam, montes ut non devolvat aquarum  
 Altè præcipites, immanni & mole tumentes;  
 Planum etiam sed cùm littus tetigere, recedant  
 In cumulum, versis ac si referantur habenis.  
 Illis quæ spatium metita est dextera pronum?  
 Terminus est tanto quonam munimine fixus?  
 Non hæc vis externa, unâ sed inhæret in illâ  
 Divinis quæ præstatur reverentia jussis:  
 Est jussum semel, æterno parebitur ævo,  
 Alternis vicibus dum nox redditura, diésque.  
 Sublimes illi ferientes sydera montes,  
 Quosque putas Cœlo vastas substare columnas,  
 Divinum ad nutum trepidant; & sede moveri  
 Si jubeat, vulsis migrant radicibus imis.  
 Hic est ille, maris qui salso in gurgite latè  
 Dispersas collegit aquas, & cedere campo  
 E reliquo jussit, quod gens humana, feræque  
 Incolerent. Idem fluctus sternitque tumentes  
 Gurgitis illius, stagnisque jacentibus æquat,  
 Cùm lubet, exultent quocumque undéntque furore.  
 Cœlum, quod tecti nobis attollitur instar,  
 Estque pavimentum superis, vel Regia, muris  
 Cœruleis, gemmante solo, sublime Theatrum,  
 Et Templum, est in quo Sol viva autoris imago,  
 Ille idem extendit, toto ornatique decoro.  
 Hic etiam Angelici coetus formaverat illum  
 Principem, & omnigeno prælustrem ornarat honore.  
 Dotibus ille tamen cum tantis induit astus  
 Et mores colubri; quin se voluitque superbis  
 Ipsi æquare Deo: sed celsa è sede rebellem

Dejecit



Dejicit Deus, illius partésque secutos.  
 Hæc sunt, quæ dici potuere, Deoque fatemur  
 Longè indigna; probat ratióque hoc una, quòd ore  
 Et dici potuere meo, potuere meaque  
 Mente capi. Quin & tentaverit hiscere quisquis  
 Majestate loquens de tantâ, credat anhelus  
 Se dixisse nihil, nedum hanc celebraverit æquus.  
 Sufficient tamen ista, Deum monitura vereri,  
 Humanosque omnes illi summittere fastus.  
 Quid, sua si nobis pandat miracula cuncta,  
 Ejus quæ vocis tonitus admiserit auris?  
 Ad fulgur fulmenque eequis non concidet illud?



## CAPUT XXVII.

*Job perpetuo constans in sui justificatione, reje-  
 cta amicorum calumnia, ostendit cur inno-  
 centiae studuerit, quod impii ex presentis vi-  
 tæ brevi prosperitate in mortem rapiantur à  
 Deo ad supplicia.*

1  DIDIT quoque Job, assu-  
 mens parabolam suam, & dixit:  
 2 Vivit Deus, qui abstulit ju-  
 dicium meum, & Omnipotens,  
 qui ad amaritudinem adduxit animam meam.  
 3 Quia donec superest halitus in me, &

spiritus Dei in naribus meis.

4 Non loquentur labia mea iniqutatem,  
nec lingua mea meditabitur mendacium.

5 Absit à me ut justos vos esse judicem:do-  
nec deficiā, non recedam ab innocentia mea.

6 Justificationem meam , quam coepi te-  
nere , non deseram : neque enim reprohen-  
dit me cor meum in omni vita mea.

7 Sit ut impius , inimicus meus : & ad-  
versarius meus quasi iniquus.

8 Quæ est enim spes hypocritæ si avarè  
rapiat , & non liberet Deus animam ejus?

9 Numquid Deus audiet clamorem ejus,  
cum venerit super eum angustia ?

10 Aut poterit in Omnipotente delecta-  
ri , & invocare Deum omni tempore ?

11 Docebo vos per manum Dei quæ Om-  
nipotens habeat , nec abscondam.

12 Ecce , vos omnes nostis , & quid sine  
causa vana loquimini ?

13 Hæc est pars hominis impii apud Deum,  
& hæreditas violentorum , quam ab Omni-  
potente suscipient.

14 Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio  
erunt, & nepotes ejus non saturabuntur pane.

15 Qui reliqui fuerint ex eo , sepelientur  
in interitu , & viduæ illius non plorabunt.

16 Si comportaverit quasi terram argen-

tum , & sicut lutum præparaverit vestimenta:

17 Præparabit quidem , sed justus vestie-  
tur illis : & argentum innocens dividet.

18 Ædificavit sicut tinea domum suam ,  
& sicut custos fecit umbraculum.

19 Dives cum dormierit , nihil secum  
auferet, aperiet oculos suos, & nihil inveniet.

20 Apprehendet eum quasi aqua inopia ,  
nocte opprimet eum tempestas.

21 Tollet eum ventus urens , & auferet ,  
& velut turbo rapiet eum de loco suo.

22 Et mittet super eum , & non parcet :  
De manu ejus fugiens fugiet.

23 Stringet super eum manus suas , & si-  
bilabit super illum , intuens locum ejus.

## PARAPHRASIS.

**A**TTENTOS Jobus , placidosque  
ut vidit amicos ,  
Nec quid moliri contrâ aut contende-  
re verbis ,  
Sermonem instaurans hæc jam fiden-  
tior addit.

Testor supremum cui subsunt omnia numen ,  
Me causâ indictâ quamvis tot mergat acerbis ,  
Dum mihi vitalis ducetur spiritus , ora

Non mea mordaci minimum laxanda querelæ,  
 Adduci nec cor posse ut meditetur iniqua.  
**J**udicio possum nec vestro stare, sinistre  
 Dum me damnatis, dum fingitis esse nocentem;  
 Hásque pati meritum non nota ob crimina pœnas,  
 Ae similes posse insonti contingere nulli  
**C**reditis, esse reum quisquis patiatur amara.  
 Integritas mihi nota mea est, salvamque tuebor  
 Ut sum tutatus; nec, me quoque judice, fallor.  
 Hostes utque habui patrantes impia semper,  
 Hos quoque nunc animo sedet hostes semper habere.  
 Nec solum, pravos qui se profitentur aperte;  
**J**usti sub specie, sed qui furtim impia patraant.  
 Est mihi tuta parum spes credita semper iniqui;  
 Usibus & nullis, rapuit quæcumque, futura  
 Visa mihi semper, suntque, eventusque probavit.  
 Ad quem confugiat durisne in rebus habebit  
 Ille Deum, aversas an non Deus obstruet aures  
 Illius precibus? Quin & conceperit idem  
 Non ulla, namque audiri desperet inaudax,  
 In se qui toties divinam accenderit iram.  
 Auribus autem ipsi me quæso audite benignis,  
 Arcanis pandam dum de cœlestibus, esse  
 Quæ mihi nota Deus voluit, reserataque vobis  
 Non minus esse reor, sed dissimulatis iniquè,  
 ( Fas sit vera loqui ) per verba haud consona menti.  
**D**e pœnis quas perversi patiuntur, abunde  
 Differitis; nec vestra hæc est sententia, carpi  
 Ut possit, vel falsi aliquid videatur inesse,  
 Dum tamen interdum similes contingere justis  
 Credatis, sed dissimili quæ fine, probandis

Scilicet his, æterni aliis præludia luctus.  
 Incipiunt verè nam tantum à morte malorum  
 Supplicia, in sorte cœlestis tunc cedit ira,  
 Huc & acervatur, licet hic multa ingruat antè,  
 At non semper; & arbitrii sunt illa supremi.  
 Et verò postquam natos genuere, putantque  
 Hac se felices cinctos florente coronâ,  
 Séque immortales, serie crescente nepotum;  
 Illos ecce metit gladius plerumque; superstes  
 Aut si quis manet, ob tenerum cui parcitur ævum;  
 Pane caret, vitam quô sustentare reliquit  
 Posset; & erectam mallet, quando illius usus  
 Ignotus, cum nondum ejus gustarat amara.  
 Reliquæ demum pereunt immaniter omnes,  
 Illas nec lacrymis viduæ dignantur & ipsæ,  
 Affines nedum, aut aliquo qui fœderc juncti.  
 Accumulet montes quantos volet impius aurum,  
 Argentique, ipsum quod calcat séque metalla  
 Vertat in illa lutum, pretiosaque tota supellex  
 Invidioso oculos avidè splendore lacestat,  
 Sit vel purpureus vel gemmeus omnis amictus;  
 Illius demum fuerit labor unicus illa  
 Congessisse; alii partis Deus annuet uti,  
 Justo nimirum, qui que hac defundat egenis,  
 Quot miseros alius, faciens tot & ipse beatos.  
 Ut, sibi quando domum pretiosa in veste dapalem  
 Tinea tosit edax, tutam hoc se credit in antro;  
 Vindicis excutitur sed prima ad verbera virgæ,  
 Iratique patet pedibus calcanda Ministri  
 Vestis qui custos, ejus curatque nitorem.  
 Ædibus eiicitur non secius iste superbis,

Atque illudendum quivis sibi sumpserit ulti.  
 Pastoralis & ut, quando defenderit æstum,  
 Frondea destruitur gelidæ casâ tempore brumæ;  
 Præberique solet rapidis in pabula flaminis:  
 Deturbantur & hæc simili palatia sorte,  
 Ac dominos eadem simul involvitque ruina.  
 Noctis erunt tantum simulachra & somnia vana;  
 Injustè quidquid dives possederit ille.  
 Evigilans est nempe oculis visurus apertis  
 Non ipsam in manibus superesse rapacibus umbram.  
 Ut cùm noctu undis auctus pluvialibus amnis  
 Evincit ripas, subjectaque gurgite vasto  
 Fertur in arva furens, & spem secum abripit anni,  
 Accola dum sommo distendit membra colonus  
 Tale nihil, cùm decubuit, ratus esse paratum,  
 Excitusque, suos queritur periisse labores;  
 Improvisa malum sic aggredietur egestas  
 Incautum, & stragis cuncta involventur acervo.  
 Affixus quamvis & mente & corpore terræ  
 Hæreat, inque illam radices egerit altas,  
 Illum ærumnarum quatent, vellentque procellæ  
 Turbinæ, rapidisque dabunt ludibria ventis.  
 Molem eluctari conabitur ille malorum  
 Nequidquam: premet incumbens Deus ipse, fugam:  
 Eripiet, claudetque ipsas quas spreverat aras (que  
 Cum fortuna fuit; frustra procumbet ad illas,  
 Hic divina licet posuit Clementia sedem,  
 Solùm namque minas tunc & jaculabitur iram.  
 Ultoris tum Justus ager partesque secundas,  
 Victori plaudensque Deo lætabitur hostem  
 Illius edomitum, meritisque expendere pœnas.

Miratique satis nequeat , quām sit miser altā  
Dejectus de sede , & quām detrusus ad imam ,  
Qui modō sublimi pulsabat vertice Cœlum.



## CAPUT XXVIII.

*Iob etiam innocentiae studuit , quod hæc sit uni-  
ca via obtinenda sapientiae , quam ostendit au-  
ro longe esse præstantiorem , tum origine , tum  
rei dignitate : Deo autem perspecta esse  
quæque occultissima naturæ , & sapientiam  
è cœlo dari , non auro emi , cuius sapientiae  
particula quædam communicatur per Dei ti-  
morem.*

1 **A**B E T argentum venarum  
suarum principia : & auro lo-  
cus est , in quo conflatur.

2 Ferrum de terra tollitur : &  
lapis solutus calore , in æs vertitur.

3 Tempus posuit tenebris , & universo-  
rum finem ipse considerat , lapidem quo-  
que caliginis , & umbram mortis.

4 Dividit torrens à populo peregrinan-  
te , eos quos oblitus est pes egentis homi-  
nis , & invios.

5 Terra , de qua oriebatur panis in loco suo , igne subversa est.

6 Locus sapphiri lapides ejus , & glebae illius aurum.

7 Semitam ignoravit avis , nec intuitus est eam oculus vulturis.

8 Non calcaverunt eam filii institorum , nec pertransivit per eam leæna.

9 Ad silicem extendit manum suam , subvertit à radicibus montes.

10 In petris rivos excidit , & omne pretiosum vidit oculus ejus.

11 Profunda quoque fluviorum scrutatus est , & abscondita in lucem produxit.

12 Sapientia verò ubi invenitur ? & quis est locus intelligentiae ?

13 Nescit homo pretium ejus , nec inventur in terra suaviter viventium.

14 Abyssus dicit : Non est in me : & mact loquitur : Non est mecum.

15 Non dabitur aurum obrizum pro ea , nec appendetur argentum in commutatione ejus.

16 Non conferetur tinctis Indiæ coloribus , nec lapidi sardonycho pretiosissimo , vel sapphiro.

17 Non adæquabitur ei aurum vel vitrum , nec commutabuntur pro ea vasa auri.

18 Excelsa & eminentia non memorabuntur comparatione ejus : trahitur autem sapientia de occultis.

19 Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia , nec tinturæ mundissimæ componetur.

20 Unde ergo sapientia venit ? & quis est locus intelligentiæ ?

21 Abscondita est ab oculis omnium viventium , volucres quoque cœli latet.

22 Perditio & mors dixerunt : Auribus nostris audivimus famam ejus.

23 Deus intelligit viam ejus , & ipse novit locum illius.

24 Ipse enim fines mundi intuetur : & omnia , quæ sub cœlo sunt , respicit.

25 Qui fecit ventis pondus , & aquas appendit in mensurâ.

26 Quando ponebat pluviis legem , & viam procellis sonantibus,

27 Tunc vidit illam , & enarravit , & præparavit , & investigavit.

28 Et dixit homini : Ecce timor Domini , ipsa est sapientia : & recedere à malo , intelligentia .

## PARAPHRASIS.

**U**GITER attentos Jobus cùm vi-  
 dit amicos  
 His arcana Dei cœpit cōtexere verbis,  
 Non scrutandi animo , penitus scit  
 námque latere ,  
 Illa sed ut doceat domitâ ratione vereri  
 Humanâ , tumidósque Deo summitrere fastus.  
 Est argenti , inquit , natura occulta ; recessus  
 Illi in terram imus , sed & instar germinat herbæ  
 Nonnunquam , nec se negat ullis prodere signis ,  
 Cùm magis abstusum : patitur venásque viásque  
 Vestigari ad se , in lucem permittitur edi ,  
 Conflari humanos cudiique ut possit in usus ,  
 Commodaque in quævis vaga per commercia verti ,  
 Sit licet incertum plura hinc an damna sequantur .  
 Auri habet ipsa etiam loca conflatoria tellus  
 In sese , præbétque eadem rimanda peritis .  
 A fluiis quod námque aurum defertur , in illis  
 Est alienigenum , terræ abrasumque medullis ,  
 Inque superficie terræ si gleba micare  
 Aurea visa , illam sit ut admiratus arator  
 Vomere succisam ; semel hic , per plurima forsitan  
 Sæcula , Naturæ jocularius excidit error .  
 Nec tamen hoc latebrosum adeo subit inia metallū ,  
 Pugnans subduci , quin prolixiatur ad auras  
 Æthercas , multâ licet arte , laboréque multo ,  
 Æquâ quem forsitan non utilitate rependit ,


Vitæ in perniciem cùm sit pariterque repertum.  
 Materies vitiis, exercendisque facultas  
 Nam prompta est illinc, jus evictura, fidemque,  
 Virgineos emptura finus, emptura pudorem,  
 Et thalamum quemvis expugnatura jugalem,  
 Arte situque etiam munita quaslibet arcet.  
 At, licet argenti sedes aurique patescat  
 Effossa, haud æquè se materiesque revelat.  
 Terræ in visceribus concretum namque vaporem  
 Hi credunt, calcemque alii, cineremque subactum,  
 Hi sulphur; nec deque modo sententia constat.  
 Frigore qui dicant glaciari, qui que calore  
 Illius, Terræ qui viscera permeat, ignis  
 Compigi, sunt multi, aut qui cœlestibus illa  
 A causis ducant, Soli, Lunæque dicantes  
 Unum cuique suum. Nimius sit denique nobis  
 Illa referre labor quæ quisque hic dissona sentit,  
 Esse sed indemnus quorum ignorantia possit.  
 Quidquid id est, varii sunt terra lutumque coloris  
 Illa metalla, quibus pretium dat opinio sola  
 Non res ipsa, ex se quæ vix pretiosior algâ.  
 A ferro hæc certè docet experientia vinci,  
 Quod sine non tellus non exercentur & artes,  
 Et cujus pariuntur opes molamine veræ,  
 Ad quas non manuum sufficerit usus ineritis,  
 Suppletura vices suntque instrumenta reperta  
 Ferrea, nullius quæ vis æquaverit auri,  
 Hoc quod molle magis melius cùm fuerit haberi,  
 A vitio pretiumque trahat. Sed commoda ferri  
 Quod majora, illud Natura labore minori  
 Quæti etiam voluit. Terra namque extat, apertâ

Vel modicè, Terræ fuerit nisi pulvis habendus  
 Qui densatur, & in ferrum formatur ab arte,  
 Sicut in æs sunt qui lapides conflantur ab igne.  
 Est etiam, Natura suâ quod sponte paravit  
 Ferrum perfectum, modicæve quod indiget artis.  
 Ast homini non illa satis, propiora benignè  
 Quæ rimanti adsunt. Terræ juvat ima subire  
 Viscera, cuniculis introrsum longius actis,  
 Atque lucernarum fodiendo ad lumina montes,  
 Multos perque dies, annos quoque sole carentes,  
 Hic instando operi, tenebris dum terminus adsit,  
 Adversa montis cum factum in parte foramen,  
 Contingat potius vitæ nisi finis anhelæ,  
 In media plerumque via quæ deficit illis.  
 Huc nam sacra fames magis ac magis incitat auti,  
 Ipsum etiam Terræ suasura recludere centrum,  
 Hæc hominum cæcos exercet cura labores.  
 Est aliâ sed parte Dei miranda potestas,  
 Scilicet erumpunt quando nova flumina scissis  
 Terræ è visceribus, fœundaque nuper in arva  
 Evolvuntse, siccatur & alveus illis  
 Quæ fluxere modò, & Terræ sorbentur hiatu.  
 Quæ pes calcarat nullus, tunc illa viator  
 Permeat, inque solo firmat vestigia nudo;  
 Discretosque à se populos miratur, adire  
 Contiguos solitus, nunc vasta interfluit unda.  
 Cultori segetes quæ Terra ferebat alendo  
 Usque ad delicias, omni frugum ubere læta,  
 Intus sulphureis absumpta dehiscere flammis  
 Cernitur interdum, propriaque sepulta ruinâ,  
 Quo Deus idque animo permittat, scire negatur.

Nec minus illa latet ratio , cur terra lapillis  
 Est quædam dives pretiosis , fulget & illic  
 Aurea gleba , viâ sed nullâ ut possit adiri.  
 Non & aves illuc liquidum per inane feruntur ,  
 Non ipse huc oculos intendit vultur acutos ,  
 Immensum in spatum licet hos contendere mirus.  
 Non , catulis escam venans , huc usque leæna  
 Progreditur , rapido non Tigris concita cursu ,  
 Mercator nedum tractus penetrarit ad illos ,  
 Ejus avaritiæ tellus licet invia nulla ,  
 Et mare sit nullum , quævis subeatque pericla ,  
 Per ferrum ad lucrum tendens , tendensque per ignes .  
 Verùm interclusæ forsitan queat optima reddi  
 Causa viæ , hoc vanum gemmarum & inutile , veræ  
 Quod nec opes , vitam quod nec faciantque beatam ,  
 Nil ad virtutem præstantes , sæpe nocentes ,  
 Rebus & in verè pretiosis splendidus error.  
 Scilicet hujus habet clavem Deus unus abyssi ,  
 Arbiter estque illam reserare & claudere summus .  
 Ille manu magnâ rupem , montem in me prehendit ,  
 Discutit , evertit , stramen quò more , sonansve  
 Comminuat virgultum ; illorum & viscera nudat .  
 Cautes exscindit fluiis , mediisque per illas  
 Undis pandit iter ; videt ipse latentia subtus ,  
 Nullus & inspectum potis est excludere gurges ,  
 Scrutantique patet quæcumque immensa vorago .  
 O ! ubinam divina tuam Sapientia sedem  
 Fixisti , humanum superans celsissima captum ?  
 Præbet adorandam sese , quærique recusat  
 Et refugit , quo namque capi molimine possit ?  
 Ejus nescit homo pretium : nec noverit ille

Præcipue, qui Cœlo oculos avertit, & hæret  
 Affixus Terræ, cœno qui séque volutat  
 Deliciarum, opplet quem corporis una voluptas.  
 Percundare orbi quæ sunt elementa creando  
 Compacta, hæc ubinam Sapientia? longius à se,  
 Séque supra, immenso sunt responsura recessu  
 Hanc distare, suas nec dignari inter haberi  
 Dvitias, alias se complecti attamen omnes.  
 A vasto seitare mari, num fluctibus illa  
 Hospitet inque suis? hanc se penes esse negabit,  
 Nec reperiri inter condit quas gurgite gemmas.  
 Esto, inquis; non illa inter Terræque, Marisque  
 Inveniatur opes, pretio mercabimur illam  
 Non ullo? Non vis auri poteritve rependi  
 Argenti satis æqua? Indi num fortè colores,  
 Sardonychûsve lapis, Sapphiri aut cærulus ignis,  
 Aut Adamas, Amethystus, Onyx, Hyacinthus, Ias.  
 Æmula cœlestis non Crystallûsque nitoris? (pis,  
 Vilia sunt illa, ac longè vilissima, summo  
 In pretio quæcumque homini videantur habenda,  
 Mutari divina his ut Sapientia possit.  
 Ergo Thesaurus poterit quibus ille fodinis  
 Eruji? abest oculis nimis à mortalibus, ullo  
 Ut figi queat obtutu; pudibunda recessit  
 Ut virgo, & fugit superas sublimis ad auras,  
 Quò Cœli nec aves pennâ se præpete tollunt.  
 Nam Cœli dicantur aves licet, aëra tantum  
 Ad medium penetrât, plausûque hunc alite lustrant,  
 Nubibus & fœse longé infra sydera condunt;  
 At sedet hæc ipsum supra Sapientia Solem.  
 Cùm nobis igitur frustra sit in aëre, cùmque  
 In terrâ, matis inque sinu quæsita profundo,

Quám juvet ergo minùs , si descendamus opacum  
 Ad Mundi centrum ? Famæ hùc pervenerit aura ,  
 Rumor & obtusus , noscique negabitur ipsa .  
 Uni nota Deo est , orbem qui lumine totum  
 Lustrat obitque suo , moderatur numine , dextrâ  
 Sustentat , metitur aquas , fluidâmque coeret  
 Harum naturam ; laxat , frænâtque procellas ,  
 Jurâque dat pluviis & leges dividit æquas .  
 Illis in cunctis ejus Sapientia fulget ,  
 Hanc aperit nobis in tam moderamine justo ,  
 Hanc veluti tabulâ spectandam præbet in amplâ .  
 Aut , quia muta , homini si visa sit illa monendo  
 Suffictura minùs , Cœli sublimis ab arce  
 En Dcus insonuit , verba os & in ista resolvit .  
 Vera Dei in cultu , vera illius inque timore ,  
 Peccandique odio sese Sapientia prodit .  
 Hæc sunt è Cœlo demissa oracula nobis ,  
 Nec sumus in Terris aliud perquirere jussi ;  
 Non , ut scrutemur Terræque Marisque profundum ;  
 Effodiamus & ut multo conamine montes ,  
 Auri cum Gryphis ut digladiemur amore ,  
 Et quæramus opes alio sub Sole jacentes ,  
 Fluxas , & vanas ; satis immortalibus istis  
 Ditati , justis quas dat Deus ipse fruendas ,  
 Aut pretio vendit minimo , minimoque labore ;  
 Sic tamen , his minimis Cœlum ut quoque profiter  
 emendum .



## CAPUT XXIX.

*Iob pristinae cupiens restitui felicitati, multis  
verbis illam enarrat, una cum bonis suis  
operibus, quo se de contraria amicorum ca-  
lumnia vindicet.*

1  D D I D I T quoque Job, as-  
sumens parabolam suam, &  
dixit:

2 *Quis mihi tribuat, ut sim  
juxta mentes pristinos, secundum dies qui-  
bus Deus custodiebat me?*

3 *Quando splendebat lucerna ejus super  
caput meum, & ad lumen ejus ambulabam  
in tenebris?*

4 *Sicut fui in diebus adolescentiae meæ,  
quando secreto Deus erat in tabernaculo  
meo?*

5 *Quando erat Omnipotens tecum, &  
in circuitu meo pueri mei?*

6 *Quando lavabam pedes meos butyro,  
& petra fundebat mihi rivos olei?*

7 *Quando procedebam ad portam civita-  
tis, & in platea parabant cathedram mihi?*

8 *Videbant*

8 Videbant me juvenes , & abscondebantur : & senes assurgentes stabant.

9 Principes cessabant loqui , & digitum superponebant ori suo.

10 Vocem suam cohibebant Duces , & lingua eorum gutturi suo adhærebat.

11 Auris audiens beatificabat me , & oculus videns testimonium reddebat mihi.

12 Et quod liberassem pauperem vociferantem , & pupillum , cui non esset adjutor.

13 Benedictio perituri super me veniebat , & cor viduæ consolatus sum.

14 Justitia indutus sum: & vestivi me , sicut vestimento & diademeate , judicio meo.

15 Oculus fui cæco , & pes claudio.

16 Pater eram pauperum : & causam quam nesciebam , diligentissime investigabam.

17 Conterebam molas iniqui , & de dentibus illius auferebam prædam.

18 Dicebamque : In nidulo meo moriar , & sicut palma multiplicabo dies.

19 Radix mea aperta est secus aquas , & ros morabitur in messione mea.

20 Gloria mea semper innovabitur , & arcus meus in manu mea instaurabitur.

21 Qui me audiebant , expectabant sententiam , & intenti tacebant ad consilium meum.


22 Verbis meis addere nihil audebant , &

super illos stillabat eloquium meum.

23 Expectabant me sicut pluviam, & os suum aperiebant quasi ad imbre serotinum.

24 Si quando ridebam ad eos, non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram.

25 Si voluisssem ire ad eos, sedebam primus: cumque federem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mōerentium consolator.



### PARAPHRASIS.

**V**IDIT amicorum mentes cūm Jo-  
bus & aures  
Perstare attentas; fortis memor antē  
beatæ,  
Cūm regeret dictis animos morésque  
suorum,  
Effet amórque sui constans, reverentia summa  
Civibus in cunctis; hāc motus imagine, menti  
Obversante suæ, resoluto hāc addidit ore.  
O! mihi felices dignetur si Deus illos  
Restituisse dies, poterat mihi quando videri  
Mortales supra reliquos attendere, rebus  
Invigilare meis, acclinem advertere curam,  
Illiisque aderat capiti cūm gratia nostro,  
Desuper affulgens, quō Sol micat aureus igne,  
Vitalem affundens almā cum luce calorem.

Hâc face securos gressus in nocte regebam.  
 Ipsa etiam, pravi docilis, mea quando juventa  
 In præceps labi poterat, malè cauta futuri,  
 Pronâque præsenti sese indulgere, serebat  
 Illecebras ubicumque suas hamata voluptas,  
 Frænabam memet tamen ipse, Deique benigno  
 Numine, versari mecum dignante, fruebar.  
 Incrementa ætas etiam cùm cepit, eâdem  
 Accrexit pietâque viâ, me námque fovebat  
 Usque Deus, semperque mihi conjunctior hæsit,  
 Avulsit nec me conjux, suscepitâque proles,  
 A recto solitæ quæ res avertere multos,  
 Immoderati illos dum fraus abducit amoris  
 In non justa, rei jubet aut nimis esse parandæ  
 Addictos, tractâ per sordes paupere vitâ,  
 Post mortem hæredes possint ut habere beatos,  
 Et cute curatos nitidâ, luxûque fluentes.  
 Ast ego prolis eram numero virtutéque felix,  
 Gaudebámque illâ cinctus florente coronâ;  
 Concessisque aliis moderatâ mente fruebar.  
 Nimirum me tanta olei, me copia lactis  
 Ditabat, cœlo semper mihi credita mitti,  
 Ut velut ipsa essent in lacte natantia rura,  
 Aflueréque ipsis oleum de rupibus undans.  
 Nec, si dives agri, minùs illustrabar in urbe.  
 Cùm, jus dicturus, me matutinus agebam,  
 Turba salutantium voce acclamabat honorâ  
 Scilicet ut miti vitæ morumque magistro,  
 Non Quæsitori rigido, tetricâque severo,  
 Sanguinis aut avido; sellâ residensque paratâ  
 Huc illucque oculos cum majestate benignos

Circumducebam : tum facta silentia linguis;  
 Tum venerabundi juvenes secedere , muti  
 Stare senes propriis , simul et qui sanguine creti  
 Nobiliore; Duces ipsi , bellante feroce  
 Virtute , & soliti plerumque tumescere rebus  
 Praeclare gestis , jura & sibi nata negare ,  
 Dantes cuncta armis , presso haud minus ore filebant.  
 Justè dumque secans lites , & crimina damnans ,  
 Accendensque animos virtutis amore , loquebar,  
 Ad cœlum cuncti sociâ me laude ferebant ,  
 Eliciebat & has amor , & reverentia voces ,  
 Non hæc , regnatum quæ nigra in candida vertens ,  
 Illorum vertit simul assentatio mentes.  
 Felix dicebar , felix ut habebar , & oras  
 Est quoque in externas hæc didita fama , viderent  
 Et qui me , exciti sunt multi , audita probantes  
 Mox oculisque suis , sæpe & superantia famam ,  
 Quæ cœlo fateor ramen ascribenda benigno.  
 Cernebant à me miserum imbellēmque potenti  
 Eripi , & injustè vel vi vel lite prementes  
 Auxilii pupillum inopem , viduāmque , retundi ,  
 Ac ipsos in se proprias acuisse sagittas.  
 Qui sic erepti , pro nostra quisque salute  
 Solliciti junctis onerabant æthera votis.  
 Justitiâ induo non ambitiosus amictus  
 Purpureusve fuit mihi curæ , aut regia pompa.  
 Illa mihi diadema fuit , sceptrumque superbū ;  
 Illa satellitii , tutaminis instar & omnis.  
 Gaudebam clando pes esse , & dextera manco  
 Esse oculus cæco , surdo auris , linguaque muto ,  
 Hōsque ope defectus nostrâ supplere juvabat.

Quos Cœlo Mundi summus regnator ab alto  
 Hic mihi subdiderat moderabar mente paternâ  
 Ac mihi de nullâ lata est sententia causâ,  
 Quam non, admoto totius lumine mentis  
 Lustrassem penitus, judex, pariterque patronus.  
 Nec meus ille animus sic mitem semper amabat  
 Se præbere, malis quin idem obsisteret acer,  
 Illis præcipue, contra jus fâsque premebant  
 Qui miseros, horum maxillas námque leonum  
 Confringens, avido retrahebam è gutture prædam,  
 Excussoque illam multo cum dente vomebant.  
 Sic vindicta non ipse mei, sed juris habebat,  
 Sicque mei compos vitia ad resecanda ferebat;  
 Sic pœnis delicta domans, mulctare videret  
 Ut me primū ipsum, pœnâ haud imitando fruentem;  
 Legum quique suæ vindictam immaniter iræ  
 Commodat, hâc quando, non à ratione movetur.  
 Damnatum meritò reus hîc se nemo negabat,  
 Quâ plectebatur nec non dabat oscula dextræ.  
 Pace fruens illâ, populi inter vota, precésque,  
 Sperabam longos leni sic agmine labi  
 Posse dies, donec tandem seræ ostia Mortis  
 Influenter, illo sorberenturque profundo,  
 Hæc etiam me demeteret mors falce benignâ,  
 In nidóque meo, prolis cingente coronâ,  
 Pullorum ut turbâ, nidum servante relictum;  
 Postquam excessissem, fatis concedere jussus.  
 Sperabam palmæ me posse æquare senectam,  
 Spesque erat hæc niti fundamine credita justo.  
 Nostra videbatur vix posse senescere radix,  
 Nedum æstu marcere ullo, quæ nempe fluento

Consita , & irriguus cui sese affunderet humor.  
 Sic sperabatur mea crescere gloria semper ,  
 Arcus posse meus vires intendere , contrà  
 Quàm soleant alii , mora quos contenta remittit.  
 Quilibet attentus pendebat ab ore loquentis ;  
 Nec quisquam ingenii pollebat acumine tanto ,  
 Demeret ut nostris possetve quid addere dictis ,  
 Sic ipso è Cœlo poterant delapsa videri ,  
 Et juvat illa etiam nos Cœlo accepta referre.  
 Eloquium , ceu ros , nostro stillabat ab ore.  
 Atque , ut ros plantæ se cuilibet aptat alendæ ,  
 Omnibus aptabat mea se Doctrina docendis.  
 Nec ros ille fuit tantùm , sed latus & imber ,  
 Ore minùs qui non expectabatur hiante ,  
 Quàm sitiens quem terra sinu depositus aperto.  
 Ac neque solo ad me cives sermone trahebam ;  
 Illorum mentes vultu moderabar & ipso.  
 Ridentem blandâ cum majestate , placebat  
 Si præbere , fidem propriis adhibere patentem  
 Vix poterant oculis ; ridens vel tūmque timebat ;  
 Vel crescebat amor , nec erat veneratio læsa.  
 Et , cum Rex illorum essem , si quando volebam  
 Ex illis tamen esse unus , similisve videri ,  
 Nempe supercilii positâ gravitate ; serenus  
 His me immiscebam , verùm ut reverentia semper  
 Illibata tueretur regale decorum .  
 Humanéque gerens sic me , sic sortis ad imæ  
 Descendens homines , propius quoque nosse grava-  
 Illorum poteram quodcumque , illique mederi , (men  
 Nam fuit hæc semper mihi summa , vel unica cura .  
 Sic regesque alios descensus juverit idem

E solio nonnunquam , animo dum fiat eodem ,  
Dumque modum teneant , & se ratione remittant ,



## C A P U T   X X X .

*Plangit Job pristinam illam felicitatem , versam  
sibi , permittente Deo , in summam calamitatem .*

1 **N**UNC autem derident me ju-  
niiores tempore , quorum non  
dignabar patres ponere cum  
canibus gregis mei :

2 Quorum virtus manuum mihi erat pro-  
nihilo , & vita ipsa putabantur indigni .

3 Egestate & fame steriles , qui rodebant in  
solitudine : squalentes calamitate & miseria .

4 Et mandebant herbas , & arborum corti-  
ces , & radix juniperorum erat cibus eorum .

5 Qui de convallibus ista rapientes , cum sin-  
gula reperissent , ad ea cum clamore currebant .

6 In desertis habitabant torrentium , &  
in cavernis terræ , vel super glaream .

7 Qui inter hujuscemodi lætabantur , &  
esse sub sentibus delicias computabant .

8 Filii stultorum & ignobilium , & in ter-  
ra penitus non parentes .

9 Nunc in eorum canticum versus sum ,  
& factus sum eis in proverbium .

19 Abominantur me , & longe fugiunt à  
me,& faciem meam conspuere non verentur,

20 Pharetram enim suam aperuit , & affli-  
xit me , & frænum posuit in os meum.

21 Ad dexteram orientis calamitates meæ  
illico surrexerunt : pedes meos subverterunt,  
& oppresserunt quasi fluctibus semitis suis.

22 Dissipaverunt itinera mea , insidiati  
sunt mihi , & prævaluerunt , & non fuit qui  
ferret auxilium.

23 Quasi rupto muro , & aperta janua ,  
irruerunt super me , & ad meas miseras  
devoluti sunt.

24 Redactus sum in nihilum : abstulisti  
quasi ventus desiderium meum : & velut  
nubes pertransiit salus mea.

25 Nunc autem in memetipso marcescit  
anima mea , & possident me dies afflictionis.

26 Nocte os meum perforatur doloribus:  
& qui me comedunt , non dormiunt.

27 In multitudine eorum consumitur ve-  
stimentum meum , & quasi capitio tunice  
succinxerunt me.

28 29 Comparatus sum luto , & assimilatus  
sum favillæ & cineri.

30 Clamo ad te , & non exaudis me : sto,  
& non respicis me.

31 Mutatus es mihi in crudelem , & in du-

titia

ritia manus tuæ adversaris mihi.

22 Elevasti me , & quasi super ventum  
ponens elisisti me valde.

23 Scio quia morti trades me , ubi consti-  
tuta est domus omni viventi.

24 Verumtamen non ad consumptionem  
eorum emittis manum tuam : & si corru-  
rint . ipse salvabis,

25 Flebam quondam super eo qui afflatus  
erat , & compatiebatur anima mea pauperi,

26 Expectabam bona , & venerunt mihi  
mala : præstolabar lueem , & eruperunt te-  
nebræ.


27 Interiora mea efferbuerunt absque ulla  
requie , prævenerunt me dies afflictionis.

28 Mœrens incedebam , sine furore con-  
lurgens , in turba clamabam.

29 Frater fui draconum , & socius stru-  
thionum.

30 Cutis mea denigrata est super me , &  
ossa mea aruerunt præ caumate.

31 Versa est in luctum cithara mea , & or-  
ganum meum in vocem flentium.



## PARAPHRASIS.

**H**ÆC erat illa mei facies regni, ille  
 meorum  
 In me effusus amor, reverentia, cul-  
 tus, honórque.  
 Nunc autem juvenum vilis mihi tur-  
 ba, procáxque  
 Illudit, quorum Patres ad sordida quæque  
 Munera non essem dignatus habere ministros,  
 Ipsorum non hisque canum committtere curam;  
 Ut nec Sole frui, vitæ nec munere dignis.  
 Quare, his ad vitam non suppeditabat alendam  
 Quod satis, at dumos & inhospita rura colentes  
 Rodebant alimenta, feris communia, sæpe  
 Cùmque illis, stimulante fame, certare coacti  
 De cœnâ, arboreâ de cortice, vilibus herbis,  
 Juniperi inventâ radice in vallibus imis,  
 His exultantes dapibus, cùm fortè dabantur  
 Carpendæ, ceu cui vis magna recluditur auri.  
 Illis antra domus, furtiva cubilia rupes  
 Exesæ, obtentæ quæ criminibusque latebræ.  
 Haud etenim solùm miseri, sed erantque scelesti.  
 Hi sunt autem illi (pársque est asperima sortis  
 Illa meæ) illorum vel nati, prava parentum  
 Pravorum soboles, qui me insectantur acerbè,  
 In me qui jactant convicia, carmina de me  
 Qui probrosoa canunt; sumque illis fabula factus;  
 Et miser est quisquis, Jobi illum nomine signant.

Me , velut infectum peste aversantur & horrent ,  
 Aut me tantum adeunt , ipsorum ut despiciat ore .  
 Quid faciam ? frustra Deus implorabitur ulti ,  
 Illi namque Dei me percutientis ab irâ  
 Hos sumpsere animos , in me Deus utitur illis ,  
 Suntque , suâ è pharetrâ quas dirigit ipse sagittas ;  
 Quæque solent miseris solamina nuda relinqui  
 Posse queri , eripuit , frænóque coercuit ora .  
 Ut primùm est in me sententia lata , ferino  
 Me contra \* à dextris insurrexere furore ,  
 Utque rapit subito damnatum à judice tortor ,  
 Subvertére pedes , qualis de monte solutus  
 Undis subvertit spumantibus obvia torrens .  
 Effugium patuit nullum circum undique septo  
 Insidiis , fert nec quis opem , fulcitve ruinam .  
 Captæ quæ facies urbis , quam diripit hostis ,  
 Sanguineque undantem ferro quam vastat & igni ,  
 Obvia quæque metens , idem ut ferat impetus omnes ,  
 Laudatúrque magis , cuius furiosior ira :  
 Hæc mea sors , aut si quid possit atrocius cdi .  
 Consumpsi quodcumque pati poterámve timere ,  
 Quid námque ad nihilum possit superesse redacto ?  
 Vota mihi jam nulla , & spes evanuit omnis ,  
 Discerpta à ventis in nubes namque recessit .  
 Vitales utcumque auras qui ducere cernor ,  
 Audior hæcque loquens , nil sum nisi Mortis imago .  
 Námque animæ solum superest , animare dolores  
 Quod possit , non hoc languens & debile corpus .  
 Imò dolorum omnis miseros quæ turba lacepsit  
 Confluxisse & me cogi videatur in uno .  
 Solamen nox esse aliis quæ suevit , acerbat

*Stabat  
a dext-  
ris ac-  
cusato-  
res a-  
pud Iu-  
dæos.*

Hæc eadem mala nostra ; dolor quippe ossibus hæret  
**A**erior , & caries putres edit ima medullas.  
**A**c, rodunt avidè qui corporis extima vermes ;  
 Insomnes capiunt nullam indulgenter quietem ;  
 Sic effervescent, densi sic undique serpunt,  
**A**gmine sic juncto , sint ut mihi tegminis instar,  
 Illisque ad talos à vertice vestiar imos.  
 Non ego nunc , homines qui censem inter habendus,  
 Totus quippe lutum , totus pulvisque cinisque.  
 Interea summis istum cruciatibus addis ,  
 Summe Dcus, cumulum , quod qui spes una salutis  
**C**redebare mihi , ja&tataque anchora navi ,  
 Non audis , temnisse preces , mitissime , nostras ,  
 Quo te cumque vocem gemitu , clamore , querelâ ,  
 Supplice, blandâ , & quæ pectus fuit apta paternum  
 Stringere visa magis, lacrymas quoque profluus ad-  
 Nunc tibi prostratus jaceo, nunc erigor, atque (dens)  
 Ad nutus attendo tuos , & cereus omnes  
 Me verto in facies , an sis placabilis ullâ  
 Anxius inquirens, sed inutilis omnia tento.  
 Ah ! mihi tam nuper facilis , tam mitis , amansque ,  
 Quonam in crudelem potuisti ctimine versus  
 Esse meo ? Certè illa tuæ causa abditur iræ.  
 Me totum excutio , culpæ nec conscius hujus  
 Invenior, poteram teque hinc sperare benignum :  
 Attamen ipse meis animos & sufficis arma  
 Hostibus; incumbens simul ipse premisque, gravasq;  
 Mene evexisti sublimen , ut ad infima lapsu  
 Præcipitem graviore dares ? à turbine raptum ,  
 Allisum scopulis , in frusta minuscula se&tum ?  
 Nec dubito post tot lethalia vulnera , seræ

Quin tandem tradas me morti, hanc nāmque negare  
 Viventi tua lata potest sententia nulli,  
 Mortales illi damnasti scilicet omnes,  
 Estque omni misero domus illa futura quietis.  
 Per quod raptor iter sed non deducis eōdem  
 Ipse alios. Lævi gradiuntur tramite; vel si  
 Interdūmque cadunt, tua dextera sublevat illos;  
 Totus per salebras meus est, per & aspera cursus.  
 At non (fas de me si sit tamen ista fateri)  
 Non me calem alios gessi in quoscumque; benignus  
 Quippe sui cunctis, flentes quoque fletibus ipse  
 Dignabar sociis, addebamque omne levamen,  
 Humanæ poterant quodcumque impendere vires;  
 Transiit inque meos aliena ærumna dolores.  
 Esse meum ducebam aliud quodcumque gravamen,  
 Illà sperabam mihi pro pietate beatam  
 Posse, & inoffenso totam pede currere vitam,  
 Et te, sponsorem qui te profitetis egeni,  
 Officii memorem nostri, meritique futurum;  
 Speratā at video mala pro mercede rependi.  
 Nāmque mihi, veluti subjectis viscera flammis  
 Torrentur, méque oppressit nil tale timentem.  
 Illa meæ stragesque domūs, molésque malorum.  
 Fletu nemo meo gemitūque movetur, & erro  
 Clamans perque forum, plateasque, nec audior ulli.  
 Hinc me proripio tesqua in deserta, draconum  
 Consors hospitii, serpentes mixtus & inter,  
 Plus ratus hīc fidei, minus & feritatis inesse,  
 Vibratique hominum pejora ex ore venena,  
 Viperei quām quæ valcent infigere morsus.  
 Et verò solo quæ non tenerescere nostro

Possint aspectu, quæ non mansuescere Tigres?  
 Aruit usta, nigrans, mea pro cute pellis, & hæsic  
 Ossibus, exhaustis arent simul ossa medullis.  
 Lætitia in luctum versa est mea tota, lyræque  
 Et citharæ blanda illa meæ modulatio rauco  
 Damnata in gemitus atque in suspiria cessit.



## C A P U T    X X X I .

*Job, ut de amicorum calumnia se purget, sum  
 mum judicem, innocentiae suæ testem invo-  
 cans, suas enarrat virtutes, quibus à puero  
 assuevit.*

**D**EPIGI foedus cum oculis  
 meis, ut ne cogitarem quidem  
 de virgine.

**2** Quam enim partem ha-  
 beret in me Deus desuper, & hæreditatem  
 Omnipotens de excelsis?

**3** Numquid non perditio est iniquo, &  
 alienatio operantibus injustitiam?

**4** Nonne ipse considerat vias meas, &  
 cunctos gressus meos dinumerat?

**5** Si ambulavi in vanitate, & festinavit  
 in dolo pes meus:

**6** Appendat me in statera justa, & sciat

Deus simplicitatem meam.

7 Si declinavit gressus meus de via , & si  
secutum est oculos meos cor meum , & si  
manibus meis adhæsit macula :

8 Seram , & alius comedat : & progenies  
mea eradicetur.

9 Si deceptum est cor meum super mulie-  
re , & si ad ostium amici mei insidiatus sum :

10 Scortum alterius sit uxor mea , & su-  
per illam incurventur alii.

11 Hoc enim nefas est , & iniquitas ma-  
xima.

12 Ignis est usque ad perditionem devo-  
rans , & omnia eradicans genima.

13 Si contempsi subire judicium cum ser-  
vo meo , & ancilla mea , cum disceptarent  
adversum me.

14 Quid enim faciam cùm surrexerit ad  
judicandum Deus ? & cùm quæsierit , quid  
respondebo illi ?

15 Numquid non in utero fecit me qui  
& illum operatus est : & formavit me in  
vulva unus ?

16 Si negavi , quod volebant , paupe-  
ribus , & oculos viduæ expectare feci :

17 Si comedi bucellam meam solus , &  
non comedit pupillus ex ea :

17 ( Quia ab infantia mea crevit mecum

miseratio : & de utero matris meæ egressa  
est mecum. )

19 Si despexi pereuntem, eo quod non  
habuerit indumentum, & absque operi-  
mento pauperem :

20 Si non benedixerunt mihi latera ejus, &  
de velleribus ovium mearum calefactus est :

21 Si levavi super pupillum manuū meam,  
etiam cum viderem me in porta superiore :

22 Humerus meus à junctura sua cadat,  
& brachium meum cum suis ossibus con-  
fringatur.

23 Semper enim quasi tumentes super me  
fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre  
non potui.

24 Si putavi aurum robur meum, & obry-  
zo dixi : Fiducia mea.

25 Si lætatus sum super multis divitiis  
meis, & quia plurima reperit manus mea.

26 Si vidi solem cum fulgeret, & lunam  
incidentem clarè :

27 Et lætatum est in abscondito cor meum,  
& osculatus sum manum meam ore meo,

28 Quæ est iniquitas maxima, & nega-  
tio contra Deum altissimum.

29 Si gavisus sum ad ruinam ejus qui  
me oderat, & exultavi quod invenisset eum  
malum.

30 Non enim dedi ad peccandum guttur meum , ut expeterem maledicens animam ejus.

31 Si non dixerunt viri tabernaculi mei : Quis det de carnibus ejus ut saturemur ?

32 Foris non mansit peregrinus , ostium meum viatori patuit.

33 si abscondi quasi homo peccatum meum , & celavi in sinu meo iniquitatem meam.

34 si expavi ad multitudinem nimiam , & despectio propinquorum terruit me : & non magis tacui , nec egressus sum ostium.

35 Quis mihi tribuat auditorem , ut desiderium meum audiat Omnipotens : & liberum scribat ipse qui judicat ?


36 Ut in humero meo portem illum , & circumdem illum quasi coronam mihi ?

37 Per singulos gradus meos pronunciabo illum , & quasi principi offeram cum.

38 Si adversum me terra mea clamat , & cum ipsa fulci ejus deflent :

39 Si fructus ejus comedи absque pecunia , & animam agricolarum ejus afflixi.

40 Pro frumento oriatur mihi tribulus , & pro hordeo spina.



## PARAPHRASIS.



ROPRIA laus quamvis sordescit in ore  
loquentis ,  
Et solet esse odio , dignis cùm sitque pu-  
dori

Coram laudari , renuátque id ferre modestus ;  
At , maledicta tamen licet & convicia contra ,  
Leniter in proprias interdum excurrere laudes ,  
Hisque verecundè jactata refellere probra .  
Innocuus cùm sim , me quando ob crimina plecti  
Afferitis , stat rite meam non prodere causam ,  
A juvenili ipsâ ducendo exordia vitâ ;  
Nec damner , res si qua mei præconia poscit .  
Cùm tumidos spirans animos in flore juventæ  
Fervet sanguis , amat séque indulgere voluptas ,  
Est ratione regi mea tum quoque passa cupido .  
Non solùm mulier , fortes arte illice docta ,  
Illaqueare animos , me non pellexit inescans ,  
Figere at obtutus ipsâ fugi inque tenellâ  
Virgine , adhuc annis quæ pubescebat acerbis ,  
Illecebratum esset quæque inscia , & unde pericli  
Posset adesse minùs , dum se dat flore verendam  
Purpureo , blandéque oculos dejecta pudicos ,  
Quos accendisset simul & restingueret ignes .  
Cura erat hinc etiam timidam deflectere cymbam ,  
In parvo fierique vado naufragia noram .  
Virginis integritas sacra est mihi credita semper ,  
Conjugii quam sacrâ unâ fas lege resolvi ,

Quamque nefas oculis minimum libare protervis.  
 Quare, oculos interque meos, animumque, severè  
 His super, hoc sanxi nunquam violabile fœdus,  
 Non solum ne agerem, sed nec meditarer iniqua.  
 Et verò hæc tacitâ volvi mihi mente solebant.  
 Hoc animum fœdare meum si criminè possum,  
 Qui mihi dignatur propior Deus esse, recedet  
 Num procul? Hoc diro non ille sugetur odore?  
 Hunc tetur lux illa feret purissima fumum?  
 Peccatis Deus à reliquis avertitur, odit  
 Istud præcipue, vix & placabilis horret.  
 Nec, cæcis licet in tenebris, soleatque remotis  
 Testibus admitti, nox est satis ulla tegendo.  
 Cernit acutum omni Deus in caligine, nostras  
 Interiore vias videt in quocumque recessu.  
 Fœmineas studui totâ sic mente cavere  
 Illecebras, curâ non attendique minore  
 In reliquis, quæ divinis contraria jussis.  
 Si nimio rerum sum vana ardore secutus,  
 Fraudibus insidias si cui molitus avaris,  
 Aut alio quocumque animo nocuisse dolosus  
 Arguar, occurro justè damnandus, & ultiro  
 Supplicium, merear quodcumque, subire paratus.  
 A recto si desflexi, cordique fuere  
 Ad non justa duces oculi, placuitque quod illis  
 Id si mox avidâ cæcâque cupidine raptus  
 Appetii, nec honesti habitâ ratione nec æqui,  
 Aut manibus labes si turpis adhæserit ulla;  
 Ipse seram, messimque aliis succidat adultam,  
 Pinguescatque mei dives mercede laboris.  
 Sit mea jure imis radicibus eruta proles,

Si ditare illam contra jus fasque paravi.

Tunc etiam cùm liber eram fervénsque juventus;  
 Est aliena uxor mihi si captata, cubile  
 Et si concendi vetitum, sit adultera conjux  
 Et mea, succumbens aliis; peccare fuitque  
 Exemplo si docta meo, purgetur eodem,  
 Parque pari justa patiar mihi lege rependi.  
 Hoc semper summum duxi scelus esse, sed illi  
 Præcipue, subiit qui vincla jugalia, frangit  
 Uxorique fidem; quam namque reposcet ab illâ  
 Prævius ipse reus? Veniâ ut vix dignus habendus  
 Naufragium facit in portu qui navita; peccans  
 Sicque in conjugio, quem portum est ista voluptas  
 Quærere iussa unum, jussa hōc considere solo.  
 Flamma vorax illud scelus est; absumere nata  
 Radices virtutum omnes: depascitur ipsa  
 Et peccantum animas, nedum per corpora serpit,  
 Hæc nempe extenuans curis insomnibus, apta  
 Cæcis his furtis dum quæritur hora, locisque;  
 Inventis tandemque illis nec pura voluptas  
 Indulget tunc sese; obstant mens conscientia pravi,  
 Sollicitudo, timor, quibus hūc comitantibus itur,  
 Peccato præsens ut sit quoque pœna nefando,  
 Sitque veneniferis & in his quod floribus angat.  
 Famæ etiam nigrans hic dedecus ignis inurit,  
 Ac deum cunctas per opes incendia jactat,  
 Disperditque illas, tota ut domus occidat unâ.  
 At, solis nec me gessi cum civibus æquum,  
 Servis me propriis justum pariterque probavi,  
 In causâque meâ, nec me decernere contra  
 Me puduit, si quid peccasse ignarus in illos


Arguerer; vel si erratum prior ipse notaram,  
 Mox delator eram meus, illorumque Patronus.  
 Et verò mecum tacitâ sic mente loquebar.  
 Servus & ipse Dei num sum? fastidet & me  
 Num pariter, si conservos sum temnere visus?  
 Servorum, dominorum an non sunt nomina sortis?  
 Non Naturæ opifex cunctorum est num Deus unus?  
 Formavit quâ me ille manu, formavit eosdem;  
 Materiâque alia non in me est usus & arte.  
 Idem ad vitam aditus fuit, ac erit exitus idem.  
 Nec sat erat servare animam sine crimine puram;  
 Abstinuisse malo; bene sed me egisse juvabat.  
 Supplicibus si sum non exoratus egenis,  
 Horum nec potius præverti vota precésque;  
 A viduâ desertâ oculos si fortè retorsi;  
 Estve supercilium tetricum, frons nubila facta;  
 Non disceptatâ cogens discedere causâ;  
 Aut demissum ejus vultum, dejecta simulque  
 Lumina, facundas lacrymas, gemitusque disertos  
 Si non audivi, queruli quoque vocibus oris  
 Non expectatis, non me Deus audiat ipse.  
 Mensæ adhibere meæ si pupillumque negavi  
 Motus avaritiâ, fastu tumidûsve superbo,  
 Indulsi nec me misero cuicunque benignè,  
 Quandoquidem mecum ex utero miseratio crevit;  
 Nudum præterii si quem, non ueste fovendo  
 Frigore contractum; mihi nec benedixit opertus,  
 Sic miseróque Deus mihi non dignetur adesse.  
 Si, cùm judiciis supremo jure præfessi,  
 Adversum séque auderet mihi sistere nullus,  
 Imperio, minimum contra, sum visus abuti,

Injecte manus imbellem in quemlibet asper;  
 Decidat ex humero violentior ille lacertus  
 Hoc ausus tam grande nefas, frangantur & ossa,  
 Utque fugax abeat in frusta minuscula pulvis.  
 Id licet ipsa ex se non aversata fuisset,  
 Divino averti poterat mens nostra timore.  
 Nämque impendentem non æquè nauta procellam  
 Formidat, præsente Dei terrebar ut ira,  
 Vel quam præsentem, sempérque gravare paratam  
 Credebam, si quid fierem delinquere pronus.  
 Auro si dixi, dixi argentove nefandè,  
 Vos mea vos estis fiducia maxima, vestra  
 Allubet, atque oculis lux fulget amabile nostris,  
 Vestro sum latus, vestro sum munere felix,  
 Vos qui possideat, bona possidet omnia solus;  
 Hac si divitias sum voce affatus, in illis  
 Spem ponens, potui si mente incumbere curva,  
 Spes neget esse mihi Deus & fiducia constans.  
 Quando coronatus radiis Sol aureus, almæ  
 Fons lucis, mundique oculus, procedere visus  
 Cum tanta est pompâ, cum majestate, putavi  
 Si Mundis summum esse illum regémque Deumque,  
 Multos quo falli populos errore videmus,  
 Illo sic cæcos splendore, illius ut autor  
 Ignoretur, & hac ducant è luce tenebras.  
 Si pariter, splendet cum Luna argentea, Solis  
 Quamvis luce micans, credebam huic numen inesse,  
 Sique admota ori portecta est dextera, cultus  
 Quod solet indicium proferri, debitus uni  
 Qui Deo, & averti qui non nisi crimine possit  
 Immani; hoc si me sum passus & ipse notari,

Id Deus æterna multet cruciabile pœnæ.  
 Rebus in adversis posito lætatus in hoste  
 Si fui, & est ejus mihi parta dolore voluptas;  
 Si lapsus pressi gravis, incubuique ruinæ;  
 Si non continui famulos, cùm perdere vellent  
 Qui me læsissent, & eos discerpere, cùmque  
 Hæc prorumpabant in verba, ardore furentes  
 Vindictæ; *Illorum quis nostra in viscera carnes*  
*Det condi? Illorum largos det sanguinis haustus?*  
 Semper in hos mitem ni me placidumque probavi,  
 Ipse adversa feram, subeamque gravamina quævis.  
 In peregrinum at quis? fuerim cùm talis in hostem?  
 Pernoctare foris nullum sum passus, & ultro (bam.  
 Quelibet inque domum, simul ad mensamque voca-  
 Rectè factorum si quem mihi querere testem  
 Moris erat, nec eorum uni mihi conscius esse;  
 Si, quæ peccaram, volui non illa patere  
 Omnibus, hanc & si renuebam accire medelam;  
 Hocque salutifero culpam emendare pudore,  
 Contra quam soleant alii, qui crima falsi  
 Dissimulant, sub virtutum specieque dealbant,  
 Furva intus, niveumque foris mentita colorem:  
 A recto si me deduxit opinio vulgi,  
 Aut furor; ac justis si non interitus hæsi  
 Decretis; fretusque meis si viribus ullus  
 E consanguineis impunè lacessere quemquam  
 Speravit, nec judiciis est subditus æquis,  
 Me mandante, patrocinium faltemve negante,  
 Nique domi, certabatur dum jure, manebam,  
 Et me cuncta silens ad decernenda parabam;  
 Me fateorque reum & pœnas quascumque mereti.

At vos longi hujus video sermonis , amici ;  
 Pertæfos , ut qui laudes me creditis ultro  
 Percensere meas , non cogi jura tueri ,  
 Probrisque invitum , mea per præconia , vestris  
 Obniti , & fines penè exuperare modesti.  
 O ! auditores mihi si Deus offerat æquos ,  
 Aut præbtere mihi si se dignetur et ipse ,  
 Mitis ut est cleménsque aliis , & in acta referri  
 Si culpas velit ille meas ; hunc ipse libellum  
 Præ manibus ferrēque humeris , & cuique legendum  
 Præberem , vellem cunctis hôc teste probari ,  
 Imò ipsique Deo , mortalis fidere si quis  
 Huc valet usque , licet nil sit sibi conscius ipsi .  
 Hunc illi offerem librum tamen , ejus ad ictus  
 Pandens illum omnes , hôc me clypéoque tuerer .  
 Dicere , nec forsan nullo sine jure , liceret ,  
 Percute , pleste , feri , verùm & , Deus , inspice , fidus .  
 Num tuus , hæc merito nec sim sine crimine , servus ?  
 At , finem ut faciam vobis ingrata loquendi ,  
 Quando & avaritiæ me vos avidæque rapinæ  
 Injustè arguitis , licet hoc contemnere possem ,  
 Nempe ut jaçtatum temerè , indignumque refelli ,  
 Non absistam uno crimen dissolvere verbo .  
 Fidenter dicam , nec me falsi increpet ullus .  
 Admisi si quid , cujus sit conscia tellus  
 Hæc sceleris , cujus poscatur ab æthere vindex ;  
 Si partem avulsi minimam cujuslibet agri ,  
 Applicuique meis , pretio non rite soluto ,  
 Ac longè majore etiam , quām jure jubebar ,  
 Si mea sunt gratis alieno culta labore  
 Prædia , & ullius merces fraudata coloni ,

Illius lacrymis sulci sudoréque vano  
 Si maduere , meos aut si sum passus & illa  
 Perpetrare , aut quid vel vi avertisse , dolóve ,  
 Triticeâ pro messe , meis nascantur in arvis  
 Et spinæ & tribuli , & cedat labor irritus omnis .  
 Hæsit in his Jobus , pressoque obmutuit ore .



## CAPUT XXXII.

*Job silentio amicis imposito , arguitur una cum  
 illis insipientia ab Eliu , qui suam jactat sa-  
 pientiam.*

I M I S E R V N T autem tres vi-  
 ri isti respondere Job , eo quod  
 justus sibi videretur .

2 Et iratus , indignatusque  
 est Eliu filius Barachel Buzi-  
 tes , de cognatione Ram : iratus est autem  
 adversum Job , eo quod justum se esse dice-  
 ret coram Deo .

3 Porro aduersum amicos ejus indigna-  
 tus est , eo quod non invenissent respon-  
 sionem rationabilem , sed tantummodo con-  
 demnassent Job .

4 Igitur Eliu expectavit Job loquentem :  
 eo quod seniores essent qui loquebantur .

5 Cum autem vidisset , quod tres responderemus non potuissent , iratus est vehementer.

6 Respondensque Eliu filius Barachel Buzites , dixit :

7 Junior sum tempore , vos autem antiquiores , idcirco demisso capite , veritus sum vobis indicare meam sententiam.

8 Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur , & annorum multitudo doceret sapientiam.

9 Sed , ut video , Spiritus est in hominibus , & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.

10 Non sunt longævi sapientes , nec senes intelligunt judicium.

11 Ideo dicam : Audite me , ostendam vobis etiam ego meam sapientiam.

12 Expectavi enim sermones vestros , audi vi prudentiam vestram , donec disceptaremni sermonibus :

13 Et donec putabam vos aliquid dicere , considerabam : sed , ut video , non est qui possit arguere Job , & respondere ex vobis sermonibus ejus.

14 Ne forte dicatis : Invenimus sapientiam , Deus projicit eum , non homo.

15 Nihil locutus est mihi , & ego non secundum sermones vestros respondebo illi.

16 Extimuerunt, nec responderunt ultrà ;  
abstuleruntque à se eloquia.

17 Quoniam igitur expectavi, & non sunt  
locuti : steterunt, nec ultra responderunt :

18 Respondebo & ego partem meam, &  
ostendam scientiam meam.

19 Plenus sum enim sermonibus, & coar-  
ctat me spiritus uteri mei.

20 En venter meus quasi mustum absque  
spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit.

21 Loquar, & respirabo paululum : ape-  
riam labia mea, & respondebo.

22 Non accipiam personam viri, & Deum  
homini non æquabo.

23 Nescio enim quamdiu subsistam, &  
si post modicum tollat me Factor meus.

## PARAPHRASIS.



O B U S ubi siluit, sunt facta silentia  
linguis  
Et reliquis ; nec spes super ulla daba-  
tur amicis


His tribus, ut posset Jobi sententia  
verti,  
Firmiter asseruit quâ se sine crimine plecti.  
Surgit ad hæc Eliu, Barachelis filius, acer

Ac vehemens juvenis, rapidi quoque munere pollens  
 Eloquii, qui sermonis fueratque filescens  
 Testis utrimque habiti; cohiberi at nescius ultrà,  
 Succensens ipsis etiam senioribus, utque  
 In desertores certaminis asper, amarâ  
 Turbidus irâ, atrox has rumpit pectore voces.  
**J**unior tunc ego, & vobis quem cedere par sit  
 Tam doctrinâ omni, quam cedo ætate, gradûque;  
 Audivi tacitus vestra illa effaga, caputque  
 Demittens, volvebam animo quæcumque, modestè  
 Continui, sperans semper meliora doceri.  
 At mihi nunc tandem constat, quod Spiritus affat  
 Divinus, quem vult, illi nec queritur ætas,  
 Conditio, munusve, suâ cui luce benignus  
 Irradiet, solos nec amat Sapientia canos.  
 Ergo, ne vobis sit nos audire pudori.  
 Audivi, Jobum contra, vos plurima frustra  
 Jaetasse; à vobis divinâque prodita causa,  
 Non defensa fuit. Pudet & me hæc dicere, sed fas,  
 Cùm videam Jobo rationes cedere vestras.  
 Namque infirma nimis vestra hæc, quæ summa po-  
 tensque

DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI

Visa magis, non esse hominem, qui tot mala Jobo  
 Immisit, verum esse Dei quam plectitur irâ;  
 Irascique Deum, nisi prævia causa, negatis.  
 Quamvis sit mecum nihil ille locutus, & omnis  
 Vos inter versata hæc est contentio solos,  
 Respondere tamen, non quam vos mente, juvabit,  
 Et certabo aliis, si non melioribus armis.  
 Flagitiis Jobum occultis non criminor iram  
 Commeruisse Dei; quæ namque audacia tectum

Improperare scelus. ? Quæ divihare facultas  
 Occultâ quod mente latet ? Sim prorsus ini quis,  
 Quæ vos obiicitis cùm sint mihi crimina nunquam  
 In Jobo comperta , premo si pondere junctus  
 Qualicumque meo , & vobis assentio cæcus.  
 Vos ipsine illi , quorum , ceu fonte percenni ,  
 Visa ex ore fuit manare scientia nuper ,  
 Et populorum aures mentesque rigare suorum ,  
 Illusisse animis nûmve est fas credere nostris ?  
 Quis tantos hæsisse viros tam credat in amplâ  
 Materiâ , & victos imbelli tendere palmas ?  
 Stat pugnam renovare igitur , nullusque timebo ,  
 Ne mihi verborum , rationum aut copia desit.  
 His tumeo , rumpárque , cadus fervente repletus  
 Ut musto , inclusâ qui seditione vaporum  
 Diffiliat , ni se spiramine laxet aperto.  
 Eloquar ; ac tanta cum libertate , superbè  
 Mortalem ut patiar se Cœlo attollere nullum ,  
 Cùmque Deo de justitiâ contendere , velle  
 Illi collatum sanctum purumque videri.  
 Ut quid enim tanto maculem me criminé ? cuius  
 Gratiâ , adulator siam tam tam vilis , & excors ?  
 An timeam vitæ , quam cras , hodiéve reposcet  
 Qui dedit ; aut nec forte brevem concessit in horam ?  
 Sortitur certè quæ vel longissima finem ;  
 Atque Deo ratio bene vel male redditur actæ .



## CAPUT XXXIII.

*Eliu ex sermonibus Job ostendere nititur eum non esse justum, docens quomodo Deus homini loquatur, ut erudiat & increpet, ac resipisciendi propitietur.*

1  U D I igitur, Job, eloquia mea, & omnes sermones meos ausculta.

2 Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis

3 Simplici corde meo sermones mei, & sententiam puram labia mea loquentur-

4 Spiritus Dei fecit me, & spiraculum Omnipotentis vivificavit me.

5 Si potes, responde mihi, & adversus faciem meam consiste.

6 Ecce, & me sicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque formatus sum.

7 Veruntamen miraculum meum non te terreat, eloquentia mea non sit tibi gravis.

8 Dixisti ergo auribus meis, & vocem verborum tuorum audivi:

9 Mundus sum ego, & absque delicto: immaculatus, & non est iniquitas in me.

10 Quia querelas in me reperit , ideo arbitratus est me inimicum sibi.

11 Posuit in nervo pedes meos , custodivit omnes semitas meas.

12 Hoc est ergo , in quo non es justificatus : respondebo tibi , quia major sit Deus homine.

13 Adversus eum contendis , quod non ad omnia verba responderit tibi ?

14 Semel loquitur Deus , & secundò id ipsum non repetit.

15 Per somnium in visione nocturna , quando irruit sopor super homines , & dormiunt in lectulo :

16 Tunc aperit aures virorum , & erudiens eos instruit disciplina.

17 Ut avertat hominem ab his quæ facit , & liberet eum de superbia.

18 Eruens animam ejus à corruptione : & vitam illius , ut non transeat in gladium.

19 Increpat quoque per dolorem in lectulo , & omnia ossa ejus marcescere facit.

20 Abominabilis ei fit in vita sua panis , & animæ illius cibus antè desiderabilis.

21 Tabescet caro ejus , & ossa , quæ tecta fuerant , nudabuntur.

22 Appropinquavit corruptioni anima ejus , & vita illius mortiferis.

23 Si fuerit pro eo angelus loquens , unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem:

24 Miserebitur ejus , & dicet : Libera eum , ut non descendat in corruptionem: inveni in quo ei propitier.

25 Consumpta est caro ejus à suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ.

26 Deprecabitur Deum , & placabilis erit : & videbit faciem ejus in jubilo , & reddet homini justitiam suam.

27 Respiciet homines , & dicet : Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus, non recepi.

28 Liberavit animam suam ne pergeret in interitum , sed vivens lucem videret.

29 Ecce , hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos.

30 Ut revocet animas eorum à corruptione , & illuminet luce viventium.

31 Attende Job , & audi me : & tace , dum ego loquor.

32 Si autem habes quod loquaris , responde mihi , loquere : volo enim , te apparere justum.

33 Quod si non habes , audi me : tace , & docebo te sapientiam.


## PARAPHRASIS.

**A**TTENTOS animos Eliu cùm vidit, & aures Arrestas, istis successum vocibus urget. Audi, Jobe, lubens, & amica hæc percipe dicta.

Ore, & corde loquar pariter, fuscisque, dolusque Hinc aberunt. Stat sedata contendere mente. Nulla mihi tecum rixa intercessit, & à te Est illata mihi privatim injuria nulla. Hæc solâ, quâ tu numen cœlestis laces sis, Accendor; monitisque utar, non vindice dextrâ, Non ferro, non igne; placet victoria, non ut Ex hoste, at choro veluti de fratre relata. Afflavit qui námque Dei me spiritus, idem Et te compegit; vita est communis origo. Ne me hominem verearis homo, timealve citanti Respondere pari, si respondenda subibunt Ulla tibi, est in me, qui te auribus audiat æquis. Audivi dicentem omni te labe carere, Atque Deo queri, quô te velit esse nocentem, Quâ te sub juris specie tam plectat acerbè; Ac, ferus extorsit si quas dolor ore querelas Humanis ferri nequeat qui viribus ullis, Hinc iram accendi, téque effervescente contra Divinam, nasci unde magis miseratio posset, Deberétye, Deo si quæ sit ab æthere cura Huc sese dignans ad res demittere nostras. Nil dubita; proprio sic sis reus ipsem et ore.

Sis aliunde licet probus , & quantumlibet insons ;  
 Esse hinc justa potest pœnatum causa tuarum ;  
 Quæque exercendo tibi sint , missæve probando ,  
 Illis muletari jam promereare scelestus .  
 Quæ námque impietas , humanis subdere summum  
 Velle Deum arbitriis , & agendi poscere causas ?  
 Quæsitis anne ille tuis respondeat usque ,  
 Ut tibi cùmque lubet ? fuerit num sàtque locutum  
 Esse semel ? Cuncta intuitu Deus inspicit uno ,  
 Doctior autem aliâ nec sit sapientior horâ .  
 At nec eget verbis , ut sit sua nota voluntas ;  
 Namque modis tacitus manifestam pluribus edit ,  
 In medio quandóque adhibens documenta sopore ,  
 Somniaque immittens , nunc absterrentia pravis  
 A studiis , nunc ad rectos hortantia mores ,  
 Hostilem nunc vim , nunc infidiâsque paratas  
 His retegens monitis , vita ña pericula monstrans ;  
 Vix unquam cessante illâ cum corde loquellâ .  
 Si minùs illa juvant ; per morbos , pérque dolores  
 Erudit , errantes revocans , frænânsque rebelles ;  
 Aut alio quocumque modo fingitque , premitque ,  
 Nósque jubet *Vani* memores incedere nostri .  
 In lecto decumbenti patranda potestas  
 Ad mala detrahitur , languéatque effœta voluntas .  
 Nauseat ad quoscumque cibos vis ægra palati ,  
 Fercula sestantis modò lauta , obsonia rara ,  
 Quæ peregrinâ essent è terra advecta , marique ,  
 Horret tumque , sibi quæ vel dulcissima nuper .  
 Interea tabéatque caro , numerantur & ossa ,  
 Quæ , ceu nuda , patent pressæ sub tegmine pellis ,  
 Subye nigrâ pellis speciem retinente favillâ .

Jam penè ad nihilum redigi , tumulóque videtur  
 Proximus inferri ; à medicis spes nulla salutis.  
 Tumque Proheta adsit si quis , sive Angelus , orans ,  
 Seque ferens intermedium , memorétque , benignè  
 Si qua , vel acta piè , subitò miserebitur ægri ,  
 Ignoscetque Deus , pacis dicétque sequestro  
 Obsequioso illi . Mea jam desæviit ira ,  
 Nolo suo meritum pretio quodcumque carere ,  
 Pœnarum exhaustum satis est , ore iste sepulchri  
 Ereptus , vires , ipsam redimátque juventam  
 Quocumque hòc merito , & dignum me notit amari ,  
 Me dignumque coli , qui parva remunerer amplè ;  
 Hæc summa est ; factu , sit mente & corpore sanus .  
 Paretur jussis , moribundus & ille resurgit ,  
 Longè quam fuerat melior , gratesque rependit ,  
 Dignaturque illi Deus apparere benignus ,  
 Et magis usque favens , quanto & studet ille mereri ,  
 Gratum se præbens ; namque & bene facta disertus  
 Prædicat illa palam , & quidquid peccauerat antè ,  
 Spem resipiscendi faciens cuicunque ; rebellis  
 Vel si peccarit bis tèrque ; monebit & idem  
 Ne clementia lassetur divina , cavendum ,  
 Ejus námque fores pulsentur denique frustra .  
 Attento , Jobe , hæc animo perpende , vel ede  
 Siquid habes contra ; non námque probabere justus  
 Invito , sum tèque lubens audire paratus .



## CAPUT XXXIV.

*Eliu rursum ex verbis Job accusat eum blasphemiae aliorumque criminum, æquitatem ostendens divini judicii, ejus quoque potentia & notitia cuncta subesse.*

- I **R**ONVNTIANS itaque Eliu, etiam hæc locutus est.
- 2 Audite sapientes verba mea, & eruditæ auscultate me:
  - 3 Auris enim verba probat, & guttæ escas gustu dijudicat.
  - 4 Judicium eligamus nobis, & inter nos videamus quid sit melius.
  - 5 Quia dixit Job: *Justus sum, & Deus subvertit judicium meum.*
  - 6 In judicando enim me, mendacium est: violenta sagitta mea absque ullo peccato.
  - 7 *Quis est vir ut est Job, qui bibit substantiationem quasi aquam:*
  - 8 *Qui graditur cum operantibus iniustitatem, & ambulat cum viris impiis?*
  - 9 *Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo.*
  - 10 Ideo viri cordati audite me, absit à Deo

impietas, & ab Omnipotente iniquitas.

11 Opus enim hominis reddet ei, & juxta vias singulorum restituet eis.

12 Vere enim Deus non condemnabit frusta, nec Omnipotens subvertet judicium.

13 Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?

14 Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius & flatum ad se trahet.

15 Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem revertetur.

16 Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, & ausculta vocem eloquii mei.

17 Numquid qui non amat judicium, sanguini potest? & quomodo tu cum, qui justus est, in tantum condemnas?

18 Qui dicit regi, apostata: qui vocat ducis impios.

19 Qui non accipit per sonas principum: nec cognovit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem: opus enim manuum ejus sunt universi.

20 Subito morientur, & in media nocte turbabuntur populi, & pertransibunt, & auferent violentum absque manu.

21 Oculi enim ejus super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat.

22 Non sunt tenebræ, & non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.

23 Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in judicium.

24 Conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.

25 Novit enim opera eorum : & idcirco inducet noctem, & conterentur.

26 Quasi impios percussit eos in loco vindictum.

27 Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt :

28 Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum.

29 Ipso enim coneedente pacem, quis est qui condemnet ? ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum & super gentes & super omnes homines ?

30 Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.

31 Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoque non prohibebo.

32 Si erravi, tu doce me : si iniquitatem locutus sum, ultra non addam.

33 Numquid à te Deus expedit eam, quia displicuit tibi ? tu enim cœpisti loqui, & non ego : quod si quid mosti melius, loquere

34 Viri intelligentes loquantur mihi, & vir sapiens audiat me.

35 Job autem stultè locutus est, & verba illius non sonant disciplinam.

36 Pater mi, proberetur Job usque ad finem : ne desinas ab homine iniquitatis.

37 Quia addit super peccata sua blasphemiam, inter nos interim constringatur : & tunc ad judicium provocet sermonibus suis Deum.

## PARAPHRASIS.

**H**I C Eliu, Jobum cùm vidi dicta silentem.

Ad sua, prosequitur, tumidóque hæc addidit ore.

Audite ô vos me, quibus est sapientia cordi,

Atque Dei quos tangit honos & gloria, Jobi  
Quam turpat cæca impietas, vœsana loquentis.

Auris verba probat, guttur dijudicat escas ;  
Aure animoque ipsi nobis dicenda probate,

Digna Deo num sint, ejusque ruentia causam,  
Insontem Jobus se jactat & occinit usque

Gratis irasci & merito sibi tot mala nullo  
Immisisse Deum stomachosum, ac tela furoris

Intorsisse sui, séque his sine crimine figi.

Ecquem proh superi ! similem sibi Jobus habebit,  
 Ridendum qui se dictis sic præbeat istis ?  
 Qui fannas ut aquam bibat , & pleno hauriat ore ?  
 Talia divino cùm de moderamine sentit ,  
 An non cum summè sceleratis , cùmque nefandis  
 Ingreditur , concorsque viam num calcat eamdem ?  
 Posse placere Deo nempe audet dicere nullum  
 Quidquid agat, bene deque illo quocumque meteti  
 Conetur cultu , quemcumque impendat honorem ;  
 Insontem afficto námque illum crimine perdet  
 Dicere nec pro se patiens , neque jura tueri.  
 Vos , si quid rationis inest , obtestor , amici ,  
 Hoc animo mecum toto exhorrescite crimen ,  
 Hoc contra effatum conjuncta exardeat ira.  
 Absit , ut in justum quidquam aut credatur iniquum  
 Justi in fonte Deo , læsique in vindice recti.  
 Ut meruere homines , fertur Deus æquus in illos ,  
 Præmia sollicito pœnalsque examine librans.  
 Forsitan est alius , munus cui competit illud  
 Iuridicum ? Deus hoc illi vel contulit ipse ?  
 Vel curam deses rerumque reliquit habenas ,  
 Et regimen populosi hujus quem condidit orbis ?  
 Non Rex est , nec qui tam robore polleat ullus ,  
 Ad nihilum subito qui non redigatur , ab illo  
 Si Deus afflatum retrahat ; mox terra , cinisque  
 Fiet , ut antè , ejus si cesset spiritus oris.  
 Audi , Iobe , igitur , si qua est tibi cura salutis .  
 Osor justitiæ quò te justum asseris ore ?  
 Iusticiamque an non odio tibi constat haberet ,  
 Autor justitiæ si creditur illius expers  
 Esse tibi ; & medicâ tractantem vulnera dextrâ

A te si removes , simil & maledicta rependis ?  
 Ille tamen justum sese sic præstat in omnes ,  
 Ipsos ut Reges populūmque coerceat æquè ,  
 Plectat ditem , inopem , nullo discrimine , quémque  
 Pro meritis , amborum idem cùm fector & autor .  
 Tutamen Regi non majestasque , decusque ,  
 Non & opes , non arma illum stipantia præbent .  
 Illum nam solio Deus ut deturbet ab alto  
 Novit mille vias , populorum armando rebelles  
 Mille manus , quæ præcipiti dent cuncta ruinæ ,  
 Ac ipsum Domini caput involvántque coronam .  
 At quis forte Deo num quâ se subtrahat arte ?  
 Nullo quis valcat sese occultare recessu ?  
 Frustra speretur . Terræ Deus intima lustrat ;  
 Nullæ nos celent tenebræ ; non mortis & ipsæ  
 Quas nox obtendit . Claram illi in luce patescit  
 Impius , in cæcâ quidquid caligine patret .  
 Iudicio verò standum est , ut quisque citatur .  
 Provocet hic nemo ; nec vel sententia possit  
 Differri , vel non , simil est ut lata , subiri .  
 Damnatur quodcumque caput , mora nulla , repente  
 Conteritur , multorum etiam , numeroque carentum ;  
 Succeduntque alii , mortis námque ille , simulque  
 Est Dominus vitæ , & pariter moderatur utriusque .  
 Sunt & ad exemplum , populi spectante coronâ ,  
 Quos ferit , ut tangat consortia pectora terror ,  
 Atque audere ætas eadem ne postera possit .  
 Hi sunt , indutâ sibi qui feritate luporum ,  
 Vexavere inopes & diripiuerे cruentî .  
 Non impunè tamen , miserorum ad sydera námque  
 Illorum est missus clamor geinitusque ; supremæ

Iustitiae, cœlesti illâ vigilantis ab arce,  
 Pulsavere fores, atque ascendere Tribunal,  
 Unde ruens illos pressit vindicta scelestos.  
 Concedente Deo pacem, quis turbet habentem?  
 Si retrahat, frustra in terris quæretur adempta.  
 Est hoc à Cœlo munus cœlestis petendum.  
 Non pacem conferre hominum prudentia possit,  
 Cura, labórque omnis; Deus est dator illius unus.  
 Quare & eam Reges, dederit se quando fruendam,  
 Convenit amplexu cupidè retinere tenaci,  
 Nec, nisi causa gravis, socialia rumpere vincla.  
 Hic fuerit vix ulla satis cunctatio longa,  
 Interea tempus ni pœti piatur ab hoste,  
 Aut possit præverti, aptum quod rebus agendis,  
 Nique morâ damnum præsens emergat ab illâ.  
 Illud rite potest Rege à prudente caveri,  
 Namque dies non tantum hîc est fugitiva, sed hora,  
 Intereritque, alium si scit sibi bella parare,  
 Instet ut ipse prior, cunctantique advolet illi,  
 Occupet incautum; furtóque an fortibus armis  
 Nil hîc decerno & Bello sua jura relinquo.  
 A Cœlo monitum menti obversetur at unum,  
 Pax solvi est facilis, Bellum componitur ægrè.  
 Momento quæ dissiliunt vix sœcula necunt.  
 In regum vultu nonnullo imitamine vultum  
 Ipse suum signatque Deus, præbétque videndum.  
 At, quando hæc vitiis fuscatur imago pudendis,  
 Illam vix oculis quis contemplatur amicis,  
 Illiusque ægrè paret gens subdita jussis,  
 Deletam quam nempe videt, nosciisque negantem.  
 Nec, quando ad solium speciem virtutis adumbrans

Tollitur è populo , sàvi qui more Tyranni  
 Mox regnet , populi sudore madescere gaudens  
 Et lacrymis , omnes ejus vertendo labores  
 Delicias stultè in proprias luxùmque voracem ,  
 Sanguine cumque ipso succum qui exorbeat omnem ,  
 Non credens magnum sese , credensve potentem ,  
 Ni , dum cuncta ruit , se metitùrque ruinis ,  
 In solâ feritate & se circumspicit , illi  
 Et summus regni est fructus pretiùmque timeri ;  
 Hæc inquam ne quis fieri sine numine credat.  
 Pravos námque Deus populos sic mulcat , in illos  
 Rege utens ipsis pejore ; ut concitus irâ  
 In reges , suevit populisque rebellibus uti .  
 Hæc est illa Dei Mundi in moderamine cura ,  
 Humanæ se quanta potest ostendere menti ,  
 Saltem quanta meæ : nec si minùs illa pateret ,  
 Sit dubitanda magis . Solùm hanc non credere Iobum  
 Quis stupeátve satis , sàtve indignetur amarè ?  
 Hæc certè est , quæ fixa mihi sententia sedet .  
 Si tamen est contrà quâ me ratione refellas ,  
 Quin promas , nihil obstat , habes audire paratum ,  
 Optarem quamvis , ut te sapientior , armis  
 Et paribus , mecum grande hoc certamen iniret .  
 Inconsultè etenim ( ne quid violentius addam )  
 Atque imprudenter , quis te neget esse locutum ?  
 Cervicosè & te & cæco certasse furore ? ( autor ;  
 Quare , ô summe hominum rector , communis &  
 Ac Pater , hunc hominem , flecti ratione negantem ,  
 Præduriùmque , novis molli vel contere pœnis ,  
 Si via nulla super , quâ sit resipiscere promptus .  
 Vix est supplicium , quod non mereatur , iniquus

Non tantum , sed & ipsum in te convicia jactans.  
 Nostris interea rationibus ille prematur  
 Arctius , hisce tuam declinet forsitan iram ,  
 Strictaque judicii prævertet tela severi.



## C A P U T   X X X V .

*Eliu falso colligens Job dixisse Deo non placere  
 quod rectum est , ostendit non Deo , sed homi-  
 ni & pietatem prodeesse , & impietatem obesse.*

I  GITVR Eliu hæc rursum locu-  
 tus est :

2 Numquid æqua tibi vide-  
 tur tua cogitatio , ut dices :  
 Justior sum Deo ?

3 Dixisti enim : Non tibi placet quod re-  
 ctum est : vel quid tibi proderit , si ego pec-  
 cavero ?

4 Itaque ego respondebo sermonibus tuis ,  
 & amicis tuis tecum .

5 Suspice coelum & intuere , & contem-  
 plare æthera , quod altior te sit .

6 Si peccaveris , quid ei nocebis ? & si  
 multiplicatae fuerint iniquitates tuæ , quid  
 facies contra eum ?

7 Porro si justè egeris, quid donabis ei,  
aut quid de manu tua accipiet?

8 Homini, qui similis tui est, nocebit im-  
pietas tua: & filium hominis adjuvabit ju-  
stitia tua.

9 Propter multitudinem calumniatorum  
clamabunt: & ejulabunt propter vim bra-  
chii tyrannorum.

10 Et non dixi: Ubi est Deus, qui fecit  
me: qui dedit carmina in nocte?

11 Qui docet nos super jumenta terræ, &  
super volucres cœli erudit nos.

12 Ibi clamabunt, & non exaudiet, pro-  
pter superbiam malorum.

13 Non ergo frustra audiet Deus, & Om-  
nipotens causas singulorum intuebitur.

14 Etiam cum dixeris: Non considerat:  
judicare coram illo, & expecta eum.

15 Nunc enim non infert furorem suum,  
nec ulciscitur scelus valde.

16 Ergo Job frustra aperit os suum, &  
absque scientia verba multiplicat.

## PARAPHRASIS.



ULTA huc usque Eliu , nihil ad  
reim , cuncta locutus  
Nitirum Jobi non convenientia  
causæ.  
Nec cessat , sed luxurians juveniliter ,

omne

Jam conceptum animo verbis expectorat istis .  
Quæ mens , Jobe , tua est , ipsi tibi quando videris  
Justior esse Deo , Mundi in moderamine præfers  
Judiciumque tuum , & rector tibi creditur ille  
Artis egere tuæ , vel neglecti arguis æqui ?  
Non tangi virtute illum , non criminé , dicis ,  
Spargentem pœnas delectu & præmia nullo .  
At te tres isti quia tam patienter amici  
Audivere tui , blaterantem impunè , refellam  
Stulta loquentem & te , mutos illösque docebo .  
Suspice celsum , & quod circumtegit omnia Cœlum ;  
Hanc mirare Dei sedem soliumque superbū ;  
A nobis quanto distat sublime recessu ?  
Huc tela iratus num forsan homunculus ulla  
Adiiciat ? num quisve Gigas huc perferat ictus ?  
Sed quanto est Cœlo sublimior illius autor ?  
Peccatis illi forsan vel mille nocebis ?  
His fortè illius poteris turbare quietem ?  
Aut felix erit inde minùs ? vel forsitan illi  
Accedet melius quidquam , si vixeris ipse  
Innocuè ? tua nonne illum munuscula ditent ,

Des tua cuncta licet , quin & domineris in orbem  
 Si totum , è proprio cùm det nihil ullus , at uni  
 Debet quisque Deo sua quæque accepta referre ?  
 Lædere prava operans hominem potes , est tibi factus  
Qui similis , quemque , ipsum ut te , jubearis amare ,  
 Ac potes illi etiam probus & prodesse benignus ,  
 Sicut & ille tibi ; damna & bona mutua namque  
 Sunt homines inter , verùm commercia nescit  
 Illa Deus , nec damna timens , nec commoda captans ,  
 Sufficiensque sibi , cunctorum fonsque bonorum .  
 Ast homo fratri homini fit quando injurius , audit  
 Hujus clamorem Deus , & se crimine lædi  
 Credit ab hòc , surgens alieni vulneris ultor .  
 Præcipue , si Iæsus opem depositat ab alto ,  
 Et totam patrocinio spem ponat in illo ;  
 Si dicat , Deus ille ubinam ? Deus & Pater idem  
Qui nobis , ad quem nostrum est in rebus acerbis  
 Perfugium , miseris reparatà quique salute  
 Ipsì dat grates hymnis celebrare canoris ?  
 Hic ille est , qui nos rationis lumine signat ,  
 A reliquis nos secernens animalibus , illo  
 Munere , probrosè sed quo cernuntur abuti  
 Se demittentes ipsa infra bruta scelesti .  
 Quare , hominem tanto cùm sit dignatus honore ,  
 Illius nunquam potero diffidere curæ .  
 Hæ sunt , quæ dignæ supremo à numine voces  
 Exaudiri , & quæ penetrant illius ad aures .  
 Nec , primum si clamorem non audiat usque ,  
 Si nos interdum rebus patiatur in arctis ,  
 Illum continuò fuerit fas ~~et~~ redere surdum .  
 Expectare juvet , tēque illi subdere : Judex

Quique tibi durus , qui nūncque videtur acerbus ,  
 Illum post paulò Patrem experiere benignum .  
 Inque malos si fræna suo laxare furori  
 Cunctatur , fugias stertentem aut credere forsan  
 Oblitum : nondum sc̄ decreta intulit hora ,  
 Aut indulgetur mutandæ conscia vitæ .  
 Omnis namque Dei nunc non effunditur ira ,  
 Sed dispensat amor semper , moderatur & illam ,  
 Dum spirans vivensque potest resipiscere peccans .  
 Nec semper sequitur culpæ vestigia pœna ,  
 Nec quando sequitur , mensuram criminis æquat .  
 Hinc , ô Jobe , vides , quām sis malesana locutus ,  
 Supremo quām sis temerè de judice questus ,  
 Proh scelus , injusti conatus inutere labem  
 Ignaræ aut residis Mundi in moderamine curæ .



## CAPUT XXXVI.

*Eliu equitatem divini judicii tuetur , qui percutit ut erudiat , loquitur ut ad se redeant ; redeuntes à flagellis liberat ; hortatur itaque Job ad resipiscentiam , promittens cuncta prospera .*

1  DDENS quoque Eliu , hæc locutus est :

2 Sustine me paululum , & indicabo tibi : adhuc enim habeo quod pro Deo loquar .

3 Reperam

3 Repetam scientiam meam , à principio,  
& operatorem meum probabo justum ,

4 Vere enim absque mendacio sermones  
mei , & perfecta scientia probabitur tibi.

5 Deus potentes non abiicit , cum & ipse  
sit potens.

6 Sed non salvat impios , & judicium pau-  
peribus tribuit.

7 Non auferet à justo oculos suos , & re-  
ges in solio collocat in perpetuum , & illi  
eriguntur.

8 Et si fuerint in catenis , & vinciantur  
funibus paupertatis :

9 Indicabit eis opera eorum , & scelera  
eorum , quia violenti fuerunt.

10 Revelabit quoque aurem eorum , ut  
corripiat : & loquetur , ut revertantur ab  
iniquitate.

11 Si audierint , & observaverint , com-  
plebunt dies suos in bono , & annos suos in  
gloria :

12 Si autem non audierint , transibunt per  
gladitum , & consumentur in stultitia.

13 Simulatores & callidi provocant iram  
Dei , neque clamabunt cùm vinci fuerint.

14 Morietur in tempestate anima eorum ,  
& vita eorum inter effeminatos.

15 Eripiet de angustia sua pauperem , &

revelabit in tribulatione aurem ejus.

16 Igitur salvabit te de ore angusto latissimè , & non habente fundamentum subter se : requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine.

17 Causa tua quasi impii judicata est , causam judiciumque recipies.

18 Non te ergo superet ira , ut aliquem opprimas : nec multitudo donorum inclinet te.

19 Depone magnitudinem tuam absque tribulatione , & omnes robustos fortitudine.

20 Ne protrahas noctem , ut ascendant populi pro eis.

21 Cave ne declines ad iniqutatem : hanc enim cœpisti sequi post miseriam.

22 Ecce , Deus excelsus in fortitudine sua , & nullus ei similis in legislatoribus.

23 Quis poterit scrutavi vias ejus ? aut quis potest ei dicere : Operatus es iniqutatem ?

24 Memento quòd ignores opus ejus , de quo cecinerunt viri.

25 Omnes homines vident eum , unusquisque intuetur procul.

26 Ecce , Deus magnus vincens scientiam nostram : numerus annorum ejus inæstimabilis.

27 Qui aufert stillas pluviaæ , & effundit

imbris ad instar gurgitum.

28 Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt  
cuncta desuper.

29 Si voluerit extendere nubes quasi ten-  
torium suum.

30 Et fulgurare lumine suo desuper, car-  
dines quoque maris operiet.

31 Per hæc enim judicat populos, & dat  
escas multis mortalibus.

32 In manibus abscondit lucem, & præ-  
cipit ei ut rursus adveniat.

33 Annuntiat de ea amico suo, quod pos-  
sessio ejus sit, & ad eam possit ascendere.

## PARAPHRASIS.

**H**I C interspirans Eliu nonnulla quievit  
Ad momenta. Animum postquam  
virtusque recepit,  
Attentas poscens aures mox talia fatur.  
Te paulisper adhuc impugnans, Jobe,  
morari


Apparo ; grande moræ pretium sed crede futurum;  
Addit verba suam Deus ipse tuentia causam  
Ore meo ; quare hic nequeo non esse disertus.  
Longè à semotâ ducetur origine sermo,  
Nostræ à principiis Naturæ, ortu quoque nostro;

In mentem revocans nos numinis esse creatos  
 Munere; quis credat non ejus munere nosque  
 Servari, curamque putet cessare paternam?  
 Talia qui jactet, certè insanitque, furitque.  
 Ast etiam sentire & tu pejora videris,  
 Scilicet in Reges odio flagrare maligno  
 Ividiaque Deum, & rerum vexare potentes;  
 Ac si non esset longè sublimior ipse,  
 Omnis & hoc flueret de fonte humana potestas,  
 Aut ullæ hunc possent vires inhibere perennem.  
 Rivulus est illinc quicumque amplissimus undat;  
 Guttulaque, Oceano quæ derivatur ab illo.  
 Reges tantum odit patrantes prava, scelestos  
 Ut reliquos, nulloque reos discrimine plectit;  
 A justis sed nunquam oculos avertit, at illos  
 In solioque locat, salvos illicque tuetur,  
 Ipsos nec tantum, sed eorum è semine cretos.  
 Si verò à recto declinent tramite, lapsos  
 Paupertate premi, nec non & vincula subire  
 Permittit, cogit sed tumque admissa fateri,  
 Atque ea se meritos mala, sive que agnoscere causam.  
 Noscitur imperii vindex Deus æquus iniqui,  
 Imperii vindex violenti in Rege Tyranno.  
 Si monitis parent divinis, omne serenum  
 Illis transigitur quodcumque accesserit avi;  
 Sin minus, ulti or Dei illos obiicit ensi.  
 Pravam qui celant recti sub imagine mentem,  
 Nec refecant vitia, abscondunt sed cordis in imo,  
 Iustam præ reliquis accendunt illius iram  
 Ut nec in extremis ausint confidere, Cœlo  
 Tollere clamorem, veniamque orare benignam;

At, velut impuri, scortatorésque peribunt.  
 Innocuus contrà adversis si fortè prematur,  
 Dignatur Deus usque illi solator adesse,  
 Inque ejus vertit placidè tolerata salutem.  
 Ipse & tu supplex si rite precabere, Jobe,  
 Nique tuis hæc dura neges ascribere culpis;  
 Illud idem sperare potes, quocumque malorum  
 Turbine raptatus, quacumque voragine mersus.  
 Te Deus eripiet, vitæ reddetque priori.  
 Idque ubi contigerit, cave rursus & illa mereri.  
 Iudicis & Regis quod nuper munus obibas  
 Id divina iterum tibi si clementia reddat,  
 Non vel avaritiâ vinci patiare vel irâ,  
 Decernas quin justa; tibi nec plaude beato,  
 Diviti, honorato, tibi nec gratare potenti,  
 Ni tantum, injustos quia sic frænare potentes  
 Copia facta tibi est, imò & frænare juberis.  
 Ad noctem disceptantum ne protrahe causas,  
 Non sectâ ne cogantur discedere lite,  
 Et ne decertent hâc lentâ rursus arenâ,  
 Ac labor interea cessetque domestica cura,  
 Inque diem victus, quâ cuique parabilis arte.  
 Temporis imprimiti jaætura est noxia parco  
 Artifici, situs in manibus cui fundus, opésque  
 Sunt omnes; tempusque illi qui distrahit ultro,  
 Qui frustra, reus hic furti, raptique tenetur.  
 Demum omni caveas ab iniquo, errórque facessat  
 Ille tuus, duri quô te implicuere dolores,  
 Questibus ut Cœlum, Cœli autorémque lacestas,  
 Ac prope jam credas actam sine crimine vitam  
 Posse nihil prodesse, pius téque antè fuisse

Pœniteat ( talis voluisti námque videri. )  
 Deciperis. Si námque Deus, magnúsque, poténsque,  
 Conditor est juris , longè est quoque justior idem ,  
 In summis valeat si quidquam excellere majus ,  
 Nique Dei superum , perfectumque eminet omnes,  
 Illius sed consiliis non possumus ipsi  
 Immisceri , operis rationem aut noscere causam  
 Vel minimi , nedum carpi quid detur in illis ,  
 Aut quis non recti vel quid minus arguat æqui.  
 Cernitur illa Dei sapientia summa , potestas  
 Et pariter suprema in re quacumque creatâ ,  
 Nostrisque in manibus quæ sit , sed apertius illis  
 In celsis , adeo spatio quæ dissipata vasto ,  
 Seilicet in Cœlo , Cœlique micantibus astris  
 Quærenti appetet , fugienti occurrit & ipsi ,  
 Nedum consequitur Deus , & latus urget utrumque;  
 Nam cui , cuncta implens non inveniatur ubique?  
 Interea sic noscendum dat séque videndum ,  
 Præbeat ut sese sublustrî ut noctis in umbrâ ,  
 Et complecti ejus volumus cum quidlibet , omnis  
 Auras in tenues abeat meditatio nostra ,  
 Vanescat , mensque immenso nil prendat in illo ,  
 Illius æterno nec quid delibet ab ævo.  
 Solum quæ patrat mirari externa subibit.  
 E Terræ gremio tenues ciet ille vapores  
 Aëris ad medium , rigidoque hic frigore densat ,  
 Mox solvens jubet in guttas stillare solutos ,  
 Ad numerum , pondus , mēsuramque ut lubet æquam.  
 Interdum has guttas in nimbos spissat , & imbres ,  
 Et , fluviorum instar , præceps agit agmen aquarum ;  
 Illud & occulto nobis moderamine , summus

Ut rector, ratio cui, nulli obnoxia reddi.  
 Tum demum, illius manibus, quò spongia more,  
 Cùm fuerint nubes expressæ, luce serenâ  
 Irradiat rursus sudo Sol aureus axe;  
 Nescitürque, illud subtexens aëra velum  
 Quò sit subductum, quò se ille receperit horror.  
 His etiam tonitus & fulmina nubibus addit,  
 Cùm terrere homines, majestatisque supremæ  
 Vult meminisse suæ; Reges sicque admonet ipsos;  
 Illorum quanto sit celsior ipse coronis,  
 Celsa quibus stultè se tangere sydera credunt.  
 Illorum fastus divinæ subjacet iræ,  
 Ut populique humiles; Cœlo hæc jaculabilis æquæ  
 Montibus aëriis & vallibus imminet imis.



## CAPUT XXXVII.

*Eliu ex mirabilibus Dei operibus concludit Dei  
 sapientiam, potentiam, ac justitiam, & in-  
 scrutabile judicium ipsius, quibus vult Iob  
 detraxisse: unde monet Iobum, ut se nutrit  
 divino penitus subiiciat.*

I  UPER hoc expavit cor meum,  
 & emotum est de loco suo.  
 2 Audite auditionem in ter-  
 rore vocis ejus, & sonum de  
 ore illius procedentem.

3 Subter omnes cœlos ipse considerat ; &  
lumen illius super terminos terræ.

4 Post eum rugiet sonitus , tonabit voce  
magnitudinis suæ ; & non investigabitur ,  
cum audita fuerit vox ejus.

5 Tonabit Deus in voce sua mirabiliter ;  
qui facit magna & inscrutabilia.

6 Qui præcipit nivi , ut descendat in ter-  
ram , & hyemis pluviis , & imbri fortitudinis  
suæ ,

7 Qui in manu omnium hominum signat ,  
ut noverint singuli opera sua.

8 Ingredietur bestia latibulum , & in an-  
tro suo morabitur.

9 Ab interioribus egredietur tempestas ,  
& ab Arcturo frigus.

10 Flante Deo concrescit gelu , & rursum  
latissimæ funduntur aquæ.

11 Frumentum desiderat nubes , & nubes  
spargunt lumen suum.

12 Quæ lustrant per circuitum , quocum-  
que eas voluntas gubernantis duxerit , ad  
omne quod præceperit illis super faciem  
otbis terrarum :

13 Sive in una tribu , sive in terra sua ,  
sive in quocumque loco misericordiæ suæ  
eas jusscrit inveniri.

14 Ausculta hæc Job : sta , & considera mi-  
rabilia Dei.

15 Numquid

15 Numquid scis quando præceperit Deus pluviis , ut ostenderent lucem nubium ejus ?

16 Numquid nosti semitas nubium magnas , & perfæctas scientias ?

17 Nonne vestimenta tua calida sunt , cum perflata fuerit terra Austro?

18 Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos , qui solidissimi quasi ære fusi sunt ?

19 Ostende nobis quid dicamus illi : nos quippe involvimus tenebris.

20 Quis narrabit ei quæ loquor ? etiam si locutus faerit homo , devorabitur.

21 At nunc non vident lucem : subito aër cogetur in nubes , & ventus transiens fugabit eas.

22 Ab Aquilone aurum venit , & ad Deum formidolosa laudatio.

23 Dignè eum invenire non possumus : magnus fortitudine , & judicio , & justitia , & enarrari non potest

24 Ideo timebunt eum viri , & non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.

## PARAPHRASIS.

**I**C Eliu, rursus vires animosque resumens.  
Dixi magna, inquit, dici at majora supersunt,  
Et quibus astupeo, vel solum hac mente revolvens.

Arrectas sermo vigilisque hic exigit aures,  
Nimirum Deus ipse meo quem detonat ore.  
Ille est è celso qui despicit æthere terram,  
Fulguribusque illam lustrat de nube solutis,  
Iræ quando suæ minitantia tela coruscat,  
Post illasque minas Coelum ciet omne tumultu  
Nubifrago, quem tota horrens Natura tremisicit;  
Et cui collatus tenui leo murmure rugit,  
In totâ sternens animalia cætera sylvâ.  
Quid verò, cum terribili rutilantia lapsu  
Fulmina præcipitat? quem non hic concutit horror?  
Quæ non deficiant humano in pectore vires?  
Quâ se quisve fugâ vel quâ se subtrahat arte,  
Quo clypeo sese, quibus aut tutabitur armis?  
Nescitur, quod vibratus caput impetat ignis;  
Nec sciret si quis, foret iustum exire potestas.  
Ac neque quis verè norit quid in aëre mira  
Hæc tanta efficiat. \* Rationi hæc abdita nostræ,  
Venditat hincque meras humana scientia nugas.  
Solus namque nivē mittit Deus, hæc quoque tantam


\* In meteorologicis alia dubitamus, alia aliquomodo attinimus. Aristoteles. Et Tycho, minimam eorum partem constare queritur.

Nonnunquam , tellus homini sit ut in via , clausum  
 Cogat sub tectis hyemare , faméque perire ,  
 Suffectura nisi fuit antè annona parata.  
 Jejunis simul illa feris impascua longum  
 Durat per tempus , cogitque extrema subire ,  
 Ulciscenda illic videantur crimina quamvis  
 Nulla , sed haud nobis rationem inquirere sit fas.  
 Sit satis illa Dei fieri summo omnia jure.  
 Namque est ille idem , nivium ceu vellere molli  
 Qui vestit terram , cùm vult , & frigus acutum  
 Defendit , pingui utque fimo dat jacta foveri  
 Semina , & agricolas nivibus sic ditat eisdem ,  
 Visus erat quibus antè illos ope rire sepultos.  
 Ille & diluviis campos iratus inundat ,  
 Involvens sylvas , armenta , hominésque , domósque ;  
 Mitior ille idem pluviis irrorat & agros ,  
 Frugibus & teneris alimenta ministrat amica .  
 Cujusque in manibus ponit , cui debeat illas  
 Exerceere operi , quibus & sit quilibet aptus ,  
 Ut sibi subsidium vitæ quætatur alendæ ;  
 Diversis homines sunt namque laboribus omnes  
 Diversis nati studiis , animoque , manuque ,  
 Eligere ut possit facile & se quisque probare .  
 At falli malunt multi , in contraria flecti ;  
 Aut natos ipsi retrahunt plerumque parentes  
 Aversas in doctrinas , artesque sinistras ,  
 Nec mirum à metâ si tunc eventus aberrat .  
 Ac neque soli homini dat convenientia nosse ;  
 Ipsi dátque feris , quærant ut in antra recessum  
 Cùm juvat , hincque foras ad prædam aut pascua ce-  
 Terræ è visceribus violentos ille vapores ( dant .

Excitat, éque illis ventorum flamina conflat;  
 Hæcque à diversa frigent regione, caléntve,  
 Quâ de parte fluunt has inde trahentia vires,  
 Austros à Libycis, Aquilones evocat oris  
 A Scythicis, variæ promus condüsque procellæ  
 Ut lubet, & terras ad nutum turbine perflans.  
 Nunc in crystallum liquidas conglutinat undas,  
 Nunc induratas solvens, errare patentes  
 Per campos rursus laxis permittit habenis.  
 Quæ sulcis mandata seges, si marceret ab æstu,  
 Expectat sibi humente à nube rigari,  
 Cui nec frustra inhiat, sentit mox namque solutam,  
 Et stillante ejus placidè recreatur ab imbre.  
 Has quoque numa sit fas animatas credere nubes,  
 Aut etiam ratione uti, sic nempe vagantur,  
 Aerias lustrantque plagas, ut ab æthere terras  
 Despiciant, quærantque sui quæ roris egentes,  
 Auxilioque juvent opportunaque medclâ?  
 At fallor; nam motus agit' circumvagus illas  
 Non aliis, quâm supremus quem Motor ab alto  
 Incutit, huc illuc, ut navim navita, flectens.  
 Vix ea, Jobe, potes nescire, sed esse videris  
 Oblitus. Quare sunt & mihi visa rebellem  
 In mentem revocanda tuam, dum nempe, creatis  
 In rebus, parent superis quæ motibus omnes,  
 Ipse reluctatis solus, querulûsque, tuménsque;  
 Ac si impunè Deo, posses indicere bellum.  
 Néve putas memorare hîc me magis abdita quæque,  
 Quorum in Naturâ facilis sit causa latendi,  
 Proponam quæ nulla tibi non obiicit hora,  
 Aut prope nulla dies, ut sint minùs ardua nosci.

Fulgentem in pluviam scis qua ratione vapores  
 Mutentur, mediis in aquis locus ignibus esse  
 Unde potest? variis micat unde coloribus æther  
 Persæpe, & quæ se nubes in claustra receptent,  
 Quodve tenetur iter? qui per sublime volatus?  
 Hic plerumque etenim mera ludit opinio quemvis;  
 Et conjecturis nituntur plurima cæcis,  
 Quæ studium nullum nulla extricaverit ætas,  
 Humani insudent licet hinc omnésque labores.  
 Hic tempestatum taceo redditusque vicésque,  
 Tam certas, hæc ut credi miracula possint  
 Continua; ast usu cessat stupor ille perenni.  
 Naturæ facies nonne immutatur & ipsa,  
 Ventorum ad flatus variorum, ut cum tepeet Austro,  
 Aut Aquilone riget? vestes tunc tu quoque mutas;  
 Ni mutésve, æstu sudas, vel frigore torpes.  
 Illorum causas fac noris & ipse, tuâve  
 Aut aliorum operâ, studioque edoctus & arte,  
 Præbeat hincque aliquam longa experientia lucem;  
 Fulgida quid quando Cœli convexa tueris?  
 Partem opere in tanto, sociato dextra labore  
 Num tua forsitan habet? vel saltem es conscius ipse  
 Num factus? num consultor? Cum labilis illa  
 Fluxaque materies solidi formam induit æris,  
 Et variè motos se circumduxit in orbes;  
 Axe super proprio quorum cum quisque rotetur,  
 Impedirent alios nulli, nullique morantur?  
 Jobe, igitur de te qui tam sentire videris  
 Magnificè, quidnam sis respondere paratus,  
 Illorum si tu rationem posceris? aut si  
 Poscatur quicumque alias, quid & ille reponet?

Quippe suis eadem nos ignorantia cunctos  
 Involvit tenebris niti ad divina volentes.  
 Est Aquilo nubes spargens sicque aëra purgans  
 Ventus, ut auri illi credas afflare nitorem;  
 Attamen idem homini tumque est aliud timendum,  
 Nunc freta concutiens, nunc terras turbine perflans.  
 Sic Deus est juncto celebrandus cumque timore,  
 Quantcumque animis se nostris luce revelet.  
 Balbutire etenim summo de numine quidquam,  
 Nósque inter tentare licet nonnulla, modestè  
 At semper, timidèque; Deo sed & hiscere coram  
 Ausit quis nostrum? nedum contendere? nedum  
 Ejus consiliis nos immiscere, querive  
 Ad nostros quòd non succedant omnia nutus?  
 Quò leviore voles niti in sublime volatu,  
 Opprimet altiyolum superâ te glòria luce.  
 Se tamen hæc quandóque probis ex parte revelat;  
 Humanæ se quanta potest affundere menti.  
 Ast hominis versatur in hòc sapientia tota,  
 Ut se cœlesti credat sine numine nosse  
 Posse nihil. Solem utque velit quicumque tueri  
 Attentè, non ille oculos affigit, at illos  
 Demittens, jubar acclinis speculatur in undâ:  
 Admiranda Dei sic & qui nosse, voléte  
 Quid libare ejus de Majestate supremâ,  
 Abiiciet sese, & summam mirabitur illam  
 In minimo quocumque, Dei quod dextera patrat,  
 Nec minùs autori in minimo debebitur illo,  
 Qualis & in magnis, reverentia juncta timori;  
 Nec minor artificis sese hîc sapientia prodet.



## CAPUT XXXVIII.

*Deus ipse disputationi se interponit , & Eliu  
silere jussō , arguit Job , ostendens ex conditis  
à se operibus non posse illum divinam poten-  
tiam ac sapientiam comprehendere.*

- R**ESPONDENS autem Dominus Job de turbine , dixit :  
 2 *Quis est iste involvens sen-  
tentias sermonibus imperitis ?*  
 3 *Accinge sicut vir lumbos tuos : interro-  
gabo te , & responde mihi.*  
 4 *Ubi eras quando ponebam fundamenta  
terræ ? indica mihi si habes intelligentiam.*  
 5 *Quis posuit mensuras ejus , si nosti ?  
vel quis tetendit super eam lineam ?*  
 6 *Super quo bases illius solidatæ sunt ?  
aut quis demisit lapidem angularem ejus ,*  
 7 *Cum me laudarent simul astra matuti-  
na , & jubilarent omnes filii Dei.*  
 8 *Quis conclusit ostiis mare , quando erum-  
pebat quasi de vulva procedens :*  
 9 *Cum ponerem nubem vestimentum  
ejus , & caligine illud quasi pannis infantia  
obvolverem ?*

10 Circumdedi illud terminis meis , & posui vēctem , & ostia.

11 Et dixi : Usque huc venies , & non procedes amplius , & hīc confringes tumentes fluctus tuos.

12 Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo , & ostendisti auroræ locum suum ?

13 Et tenuisti concutiens extrema terræ , & excussisti impios ex ea ?

14 Restituetur ut lutum signaculum , & stabit sicut vestimentum :

15 Auferetur ab impiis lux sua , & brachium excelsum confringetur.

16 Numquid ingressus es profunda maris , & in novissimis abyssi deambulasti ?

17 Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis , & ostia tenebrosa vidisti ?

18 Numquid considerasti latitudinem terræ ? indica mihi , si nosti , omnia.

19 In qua via lux habitet , & tenebrarum quis locus sit :

20 Ut ducas unumquodque ad terminos suos , & intelligas semitas domus ejus.

21 Sciebas tunc quod nasciturus es ? & numerum dierum tuorum noveras ?

22 Numquid ingressus es thesauros nivis , aut thesauros grandinis aspexisti ?

23 Quæ præparavi in tempus hostis , in diem pugnæ & belli ?

24 Per

24 Per quam viam spargitur lux , dividitur æstus super terram ?

25 Quis dedit vehementissimo imbri cursum , & viam sonantis tonitrui ,

26 Ut plueret super terram absque homine in deserto , ubi nullus mortalium commoratur ,

27 Ut impleret inviam & desolatam , & produceret herbas virentes ?

28 Quis est pluviae pater , vel quis genuit stillas roris ?

29 De cuius utero egressa est glacies ? & gelu de cœlo quis genuit ?

30 In similitudinem lapidis aquæ durantur , & superficies abyssi constringitur.

31 Numquid conjungere valebis micantes stellas Pleiadas , aut gyrum Arctui poteris dissipare ?

32 Numquid producis Luciferum in tempore suo , & Vesperum super filios terræ consurgere facis ?

33 Numquid nosti ordinem cœli , & pones rationem ejus in terra ?

34 Numquid elevabis in nebula vocem tuam , & impetus aquarum operiet te ?

35 Numquid mittes fulgura , & ibunt , & revertentia dicent tibi : Adsumus ?

26 Quis posuit in visceribus hominis sa-

pientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?


37 **Q**uis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet?

38 **Q**uando fundebatur pulvis in terra, & glebæ compingebantur?

39 Numquid capies leænæ prædam, & animam catulorum ejus implebis?

40 Quando cubant in antris, & in spe-cubus infidiantur?

41 **Q**uis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagan-tes, eo quod non habeant cibos?



## PARAPHRASIS.



I C Eliu nondum finem ambitiosa lo-quendi  
Fecerat, exultans torrentis flumine  
linguae,  
Séque ostentandi juvenili abreptus  
amore.

Nec tulit illa Deus, verùm auxiliator adesse,  
Séque fatigati voluit vice sistere Jobi,  
Respondendo, ad quæ fastus subsideret ille.  
Colligit ergo atram turbatò ex æthere nubem,  
Fulguraque, & tumidas motura tonitrua mentes  
Ingeminans, medio sic illo è turbine fatur.

Quinam est ille , meo qui de moderamine Mundi  
 Tam me digna parūm , tamque est insulsa locutus ?  
 Et gravia interdum nugis quod sensa canoris  
 Involut , verbis aut illa cumentibus efflans  
 Proicit ampullas multo conamine vanas  
 Efflatum quid se magnum ac mirabile credit ?  
 Sume animos viresque ausis tam grandibus æquas ,  
 Responde ad quæ sum perstringere pauca paratus ,  
 Hæc etiam ludūmque mei partemque laboris  
 Tam minimam , sola ut sit in his operata voluntas .  
 Tunc ubi tu , nostrum cùm condidit omnia verbum ,  
 Terraque tam stabili quando est munimine nixa  
 Se super , in vacuo pendens glomerata profundo ?  
 Mensuram ad certam definitamque , globosam  
 Hanc molem quinam tantâ faber arte dolavit ?  
 Quo firmata solo basis est ? quo robore fulta ?  
 An nosti , quanam Cœlos ratione creavi ?  
 Quo volvi gyro cœpere , meisque perenni  
 Concentu laudes celebrare , & junctus ut illis  
 Est simul Angelicus nostra ad præconia cœtus ?  
 Nūmve magis dices ecquo mare limite ciuxi ,  
 Naturæ è gremio quando est erumpere visum ,  
 Ac supra totam se velle effundere terram ?  
 At certisque locis , certis regionibus illud  
 Conclusi , campos jussique vacare patentes ,  
 Terrenæ quos incolerent animalia fortis .  
 Nubibus autem ipsum texi , ceu vestis amictu ,  
 Ac illi cunæque dedi , stravique cubile ,  
 Quô se componat placidum , iratumque revolvat ;  
 Concitet , at nunquam fines exuberet ultra .  
 Dixi nempè illi . Tua vasta superbiat unda ,

Intumeat ventis agitata quibuslibet , omnes  
 Fluctus ista tuos mollis confringet arena ,  
 Et quos devolves , velut alto è monte , furores .  
 Solis an illuxit quō primū tempore lampas  
 Præsens ipse aderas ? cursum numque illius omnem  
 Dítexti ? aut nondum natum te forsitan illa  
 Expectavit , ut alternas servare diei  
 Ac noctis per certa vices præcepta doceres ?  
 Auroræ num signasti tempusque locumque ,  
 Admonitrix operum & lucis quō prævia surgat ?  
 Plectendis si quando malis fundamine terram  
 Concussi ex imo , tua me num dextera juvit ?  
 Hancque , suā jussi cùm sede quiescere rursus ,  
 Hæc eadem tua dextra suo num pondere pressit  
 Nutantem , tremulamque ? meo num numine solo  
 Illi consimili situs est ratione receptus ,  
 Pristina quā recipit mollis vestigia limus ?  
 Ac velut excusso mundat qui pulvere vestem ,  
 Atterit haud illam , ast auget pretiumque decusque ,  
 Secernit num nostra reos sapientia , solos  
 Ut pérdat nobis ausos indicere bellum ?  
 Cuncta igitur qui nosti , aut vis tibi cognita credi ,  
 Num maris immensi scrutatus es intima ? quæque  
 Hic miranda latent tibi num patuere reiecta ?  
 Hic oculis subducta tuis subductaque menti  
 Infinita , operæ quæ nostræ , ut cætera , tangi  
 Quæ tibi non tantum sed nec concessa videri :  
 Omnia námque mei produxit spiritus oris  
 Sub sensu quæcumque cadunt , fugiuntve capessi .  
 Ergo voraginibus num te his , specubusque marinis  
 Insinuasti ? aut te penetrasti in viscera terræ ,

Ejus in horrificas caligantésque cavernas ;  
 Quò vivens unquam visus descendere nullus ;  
 Atque ubi Mors regnat, propria & se jactat in aulâ ;  
 Jam terræ quantus qualisque sit ambitus anne  
 Est tibi pernotum , cùm pars sit parva retecta  
 Illius , longè & major retegenda supersit ;  
 Cùm varient adeoque omnes , sine limite certo ;  
 Mensurâ doctos qui se profitentur in illâ ?  
 Ut taceam , terras alias , Mundosue creare  
 Si placuit , placeatve alios , numeróque carentes ,  
 Quorum quæ fuerit partem quoque nosse facultas ,  
 Hujus duim minimus te comprimit angulus orbis ,  
 Et vix plura vides , arctæ quâm vallis in imo ,  
 Montis quam medianam gemini latus urget utriunque ?  
 At mundos verbo innumeros fabricabor eodem ,  
 Hunc quo produxi , surgat par si qua voluntas ;  
 Nec defessa manus credi hōc mea possit in uno ,  
 Hincque patet , mea quâm minime tibi nota poterat  
 An nosti , qua lux sese regione receptet ? ( stas .  
 Quâ tenebrae ? sit quænam illis statioque locûisque ,  
 Alternando vices spatia in sua quando recedunt ?  
 Ac , cùm inundi orbem , & mudi quod continet orbis  
 Eduxi è nihilo , noras an fortè futurum  
 Te simul , & superas visutum luminis oras ?  
 Horam nascendi vel maturare facultas  
 Anne fuit , vel quo generari è semine posses ;  
 Ditis an exires , femoris vel germin egeni ;  
 Privati , aut Regis ; Domini , vel denique servi ?  
 Proxima dūmque adeo , dūmque & cognata latebant ,  
 Vitæ momentum , lucis radiisque fugacis ,  
 Tam semota tibi potuere an nostra recludi ?

Thesaurosne nivis reserasti & grandinis, hostes  
 Inque meos æther armamentaria quotquot  
 Celat, turbinibus, nimbis, & fœta procellis?  
 Quâ lux spargatur ratione per aëra nosti?  
 Quâque calor? quâ sunt tubuli, quâque arte canales  
 Aërii structi, per quos defunditur imber,  
 Usibus humanis non tantum, at in avia labens,  
 In deserta, feris etiam ne pabula desint?  
 Quis pater, aut autor pluviae, quæ viscera terræ  
 Fœcundat? cùmque hæc sudo nimis aëre deficit,  
 Densari & nubes nequeunt, tum gemmeus humor  
 Unde fluit, supplens absentem roscidus imbre?  
 Unde pruina? gelu, quod frænat flumina, durat  
 In morem lapidis, subitura pedesque, rotasque?  
 Pleiadas quis multiplices sociavit in astri  
 Unius speciem? ac stellas quis segreget illas,  
 Quæ faciunt variis Arcturum ex ignibus unum?  
 Jussu manè tuo num Lucifer exit? & idem,  
 Téne jubente, dies alio sub nomine condit?  
 Singula num nosti quâ currunt sydera lege,  
 Inferiora habeant & quas in corpora vires?  
 Advolitare jube, & Cœlum subtexere nubes,  
 Ac pluviam stillare; jube flammatæ micare  
 Fulgura, misceri tonitus, & fulmina rumpi,  
 Obsquiosa tuis spera & famulantia jussis.  
 Quis rationem homini, quis & indidit artibus aptum  
 Ingenium variis, nec non animalibus ipsis  
 Unum cuique suum? Quis gallo insevit, ut ore  
 Accersat Solem levissimno, & nuntiet horas,  
 Cantu nec simili; mediâ sed nocte, sonoro,  
 Productoque magis; luce adventante, remisso,

Se sensim ut jubari propiori attemperet illi,  
 Factus ut audiri facilis, spatio usque minori?  
 Si tam parva latent, Cœli tibi fortè patebunt?  
 Illorum qui concentus præconia narrant  
 Nostra? potest illis mandare silentia quisquam?  
 Tunc ubi tu, cùm terra mero de pulvere constans,  
 In ventos abitura, undis solidata cohæsit  
 Infusis, Mundi & centro subsedit in imo?  
 Rursus ad illa, capi quæ vix aliena, revolvor,  
 At fugitura tuum quæ sunt, licet infima, captum.  
 Est ne hominum quisquam, quem tangat cura leænæ  
 Parvis cum catulis cæco recubantis in antro?  
 Est ne, cibum qui provideat, qui dividat escas?  
 At non ipse fame, jejuno & dente, perire  
 Hos patior eatulos, nondum venatibus aptos;  
 Nutririque diu nequeant quia lacte, calorem  
 Ob nimium, insidiis do, cùm vis deficit, uti,  
 Imbellique feras astu captare minores,  
 Donec majoris pascantur vulnere prædæ.  
 Corvorum pullis à patre & matre relictis  
 Prospicio simul ipse, horum crocitante vocatus  
 Vagitu; qui nempe pater communis & altor,  
 Expedie utque, meam cunctis impertio curam?



## CAPUT XXXIX.

*Deus ipsi Job ostendit mirabilia opera sua etiam  
in ibicibus, onagro, rhinocerote, struthione,  
equo, & aquila; arguens eum quod cum ipso  
contendere voluerit: quibus Job commotus  
agnoscit se temere locutum.*

- 1 **N**UM QVID nosti tempus partus  
ibicum in petris, vel partu-  
rientes cervas observasti?  
2 D inumerasti menses con-  
ceptus earum, & scisti tempus  
partus earum?  
3 Incurvantur ad foetum, & pariunt, &  
rugitus emittunt.  
4 Separantur filii earum, & pergunt ad pa-  
stum: egrediuntur, & non revertuntur ad eas.  
5 Quis dimisit onagrum liberum, & vin-  
cula ejus quis solvit?  
6 Cui dedi in solitudine domum, & ta-  
bernacula ejus in terra salsuginis.  
7 Contemnit multitudinem civitatis, cla-  
morem exactoris non audit.  
8 Circumspicit montes pascuae suae, & vi-  
rentia quæque perquirit,

9 Numquid volet rhinoceros servire tibi,  
aut morabitur ad præsepe tuum?

10 Numquid alligabis rhinocerota ad  
arandum loro tuo? aut confringet glebas  
vallium post te?

11 Numquid fiduciam habebis in magna  
fortitudine ejus, & derelinques ei labores  
tuos?

12 Numquid credes illi quod sementem  
reddat tibi, & aream tuam congreget?

13 Penna struthionis similis est pennis  
herodii, & accipitris.

14 Quando derelinquit ova sua in terra,  
tu forsitan in pulvere calefacies ea?

15 Obliviscitur quod pes conculceret ea,  
aut bestia agri conterat.

16 Duratur ad filios suos quasi non sint  
sui, frustra laboravit nullo timore cogente.

17 Privavit enim eam Deus sapientia, nec  
dedit illi intelligentiam.

18 Cum tempus fuerit, in altum alas eri-  
git: deridet equum & ascensorem ejus.

19 Numquid præbebis equo fortitudinem,  
aut circumdabis collo ejus hinnitum?

20 Numquid suscitabis eum quasi locu-  
stas: gloria narium ejus terror.

21 Terram ungula fodit, exultat auda-  
ter: in occursum pergit armatis.

- 22 Contemnit pavorem , nec cedit gladio.
- 23 Super ipsum sonabit pharetra , vibra-  
bit hasta & clypeus.
- 24 Fervens & fremens sorbet terram , nec  
reputat tubæ sonare clangorem.
- 25 Ubi audierit buccinam , dicit : Vah  
procul odoratur bellum , exhortationem du-  
cum , & ululatum exercitus.
- 26 Numquid per sapientiam tuam plumes-  
cit accipiter , expandens alas suas ad austrum?
- 27 Numquid ad præceptum tuum ele-  
vabitur aquila , & in arduis ponet nidum  
suum ?
- 28 In petris manet , & in præruptis silici-  
bus commoratur , atque inaccessis rupibus.
- 29 Inde contemplatur escam , & de longe  
oculi ejus prospiciunt.
- 30 Pulli ejus lambent sanguinem : & ubi-  
cumque cadaver fuerit , statim adest.
- 31 Et adjecit Dominus , & locutus est a  
Job :
- 32 Numquid qui contendit cum Deo ,  
tam facile conquiescit ? utique qui arguit  
Deum debet respondere ei.
- 33 Respondens autem Job Domino , dixit :
- 34 Qui leviter locutus sum , respondere  
quid possum ? manum meam ponam super  
os meum.

25 Unum locutus sum , quod utinam non  
dixisse , & alterum , quibus ultra non  
addam.



## PARAPHRASIS.

**A**TE cùm tanto Cœli discrimine di-  
stent ,  
Cùm distent & aves celeri in sublime  
volatu ,  
Illuc quæ spectant potes ignorare li-  
center ,  
Falsaque censentis fuerit veniabilis error.  
Verum quæ tecum calcant animalia terram ,  
Quæ tibi convivunt , illis nescire quod insit  
Ingenium , qui sint mores , natura , tumorem  
Debuerint certè illa tuæ displodere mentis.  
Suprema ob nimium liceat nescire recessum ,  
His vicina etiam ; sed nec tibi proxima nosti .  
Et verò , quām penè oculis admota videri  
Ibicis antra tuis possunt ? nosti an tamen illa ?  
Quoque intra rupes Ibex paritura recedat  
Tempore ; quo fœtus deponat cerva tenellos .  
An quot concipient , quot parturiantque diebus  
Observasti , & quos subeant pariendo dolores ,  
Ut rugire etiam cogantur more leonum ?  
Grandior est postquam depulsus ab ubere matris  
Hinnulus , ad pastum properat , matremque relinquit ;

Arbitrione doces tunc uti, juris & illum  
 Esse sui, campos & persultare patentes?  
 Libertatis amor dic unde innatus onagro  
 Est tantus? refugit servire domesticus, ægrum  
 Subdere dorsum oneri, vel herili verbere tundi,  
**A**rbitrio demum alterius vel munere tantum  
 Pasci, adaquari, & se cuvis præbere regendum;  
 Ceu velit hōe homines exemplo utcumque docere  
 Ut ne mensæ inhient alienæ, pascere segnem  
 Sicque velint ventrem, summittere sitque pudori  
 Libera colla, cibo pro vili, hunc quando parare  
 Pervigil humanaas acuens penuria mentes,  
 Et labor omniparens, ars multaque possit honesta.  
**U**isque sui juris, nullique domabilis, errat  
 Per sylvas onager, quærens quæ pascua malit,  
 Et quæ lœta magis, glebae seque ubere versat.  
 Rhinocerota tuæ potes an quoque subdere legi,  
 Subdere numque jugo, terræque invertere glebas  
 Ejus ope? ac reliquos illumne aptabis in usus?  
 Hoc vi non ullâ, nullâ tentaveris arte.  
 Fidit quippe suis sic viribus, erret ut audax  
 Vastas per sylvas, temnens hominésque, ferásque,  
 Inferat impunis nec sese hostiliter ulla.  
 Non, ut aves reliquæ, substratis incubat ovis  
 Struthio, vægrandis nam pondere corporis illa  
 Contereret; sed cùm desertæ infodit arenæ,  
 Discedit, curâ subeunte superstite nullâ,  
 Proculeanda an sint hominum pedibûsve ferarum,  
 Exclusi dum sint solemni tempore pulli.  
 Hæc ova interea quis maturatque fovetque,  
 Elicit hincque animam, vitalésque edit in auras?


Au non solus ego , simul hæc , ut cætera , curans ?  
 Ast avis hæc eadem , tam proli incauta tuendæ ,  
 Consulit ipsa sibi fugiendis strenua telis  
 Venantum , remis veluti velisque citata ,  
 Nempe alatum utens juncta levitate pedumque ,  
 Ut soleat pernicem equituni prævertere cursum .  
 Jam tu robur equo ac animum num fortè dedisti ,  
 Ut terram crebro feriat pede , nescius uno  
 State loco , argutæ subsultans more locustæ ,  
 Utve solet pratis ludens in mollibus hœdus ?  
 Attollit cervicem , aures acutique micantes ,  
 Luxurians errante jubâ per colla , per armos ,  
 Scintillatque oculis , & spirat naribus ignem ,  
 Incenditque auras hinnitu , & provocat hostem .  
 Præcipue , quando est phaleris ornatus , honoris  
 Tum ductus pretio ad palmam festinus anhelat ,  
 Bellum & odoratur ; simul ipsa hortamina credas  
 Illum audire ducum , clangorem & nosse tubarum ,  
 Hisque oblectari , fremitumque & amare tumultus  
 Bellantum ; misceri illis spumantia mandens  
 Fræna ferox pugnat , laxarique ardet habenas ,  
 Pressisque illuctans illis sorbere videtur  
 Terram velle : datas sentit cùm denique , factus  
 Cum sessore suo velut unus , fulminis instar  
 Fertur in adversos , cuneos irrumpit , adactus  
 Per medios , simul armatos & proterit arma .  
 Opposito quocumque putas gaudere periclo ,  
 Sic pharetræ sonitus , telorum & sibila temnit .  
 Fulgorem ad gladii nec nictat , more leonis ,  
 Illum tantum oculis audet qui figere limis ,  
 Regem animantium animis licet & se robore jactet ;

Nec caput, ut taurus, pronè demittit, apertis  
 Ast urget se oculis, erecto & pectore firmat,  
 Saucius ac de animo nil deque ardore remittit,  
 Effundat dum demum omnes per vulnera vires,  
 Exhaletque animam riguo cum sanguine mixtam.  
 Nec minus apta fugæ est ad herilem cura salutem,  
 Telis namque licet confossum pluribus ipse,  
 In tuto certat dominum deponere, tumque  
 Ceu placida demum compostus morte quiescit,  
 Ut possis fortem non solum, at dicere gratum,  
 Adversus qui se eduxit pavitque benignus.  
 Hæc commendat equum, nostro sed munere, virtus;  
 Ast aliis an tu confers animalibus ullam?  
 Accipitrémne doces, mutet quô tempore pennas,  
 Austrinum pandens ad flatum molliter alas?  
 Hoc solvi plumas scit námque tempore minores,  
 Jam vetulas, aliásque brevi succrescere, sicque  
 Muniri se veste novâ brumalia contra  
 Frigora; nec fugiens hic spem frustratur amictus  
 Alterius, semper ritu subeuntis eodem.  
 Anne tuis etiam monitis Regina volucrum,  
 Tam se animoso effert Aquila in sublime volatu,  
 Ut nidum ponat præcelsæ in vertice rupis,  
 Vix ut aves, nedū hūc subeant hominésque feræque,  
 Terrasque è supetis speculetur nubibus, cœcas  
 Deferat ut pullis, patulo expectantibus ore,  
 Imbuat utque illos rapiendæ sanguine prædæ,  
 Cùm rostrum tenerosque ætas armaverit ungues?  
 Nec visus tantum est illi concessa facultas  
 Præcipua, olfactus simili quoque munere pollet,  
 Vel majore etiam; quod nempe haud cernere possit

Longè in semiota regione cadaver odorans.

\* Arguit hūc Deus usque Eliu; mox séque silentem  
 Ad Jobum vertit, verbis simul increpat istis.  
 Nec tu, Jobe, carens hāc prorsus labē videtis,  
 At culpæ affinis, penè & temerarius æquè;  
 Penè etiam fidens nostra ad penetralia subdi,  
 Ac credens oculis vultum quoque figere nostrum  
 Posse tuis. Nunc quæ tua sit sententia prome.  
 Túne, Deo visus modò qui contendere, summam  
 Qui potuisti ejus cæco temerarius ausu  
 Carpere justitiam, petiisti quique daretur  
 Te purgare, mihi litemque movere facultas,  
 Nunc obmutescis? per me licet, ora resolvas.  
 Jobus ad hæc Qui me fateor nimis esse locutum,  
 Optarem posthac culpam hanc delere silendo.  
 At, pœnam ut merui, veniam simul, oro, loquelâ  
 Promerear, sed diversâ, plenâque timoris,  
 Ut fuit illa audax, fuit & temeraria prorsus.  
 Extorsit mihi verba dolor, quæ noxia damno,  
 Aversor, sunt jamque meæ quæ dissona menti.  
 Esse velint indicta, à me quæ dicta furente,  
 Tu, Deus, hæcque tibi patiare indicta videri;  
 Nec meminisse velis, sed solum attendere laudes  
 Quas celebrare tuas reliquo fert impetus ævo.

\* Iea censem optimi interpretes; superiorem scilicet Dei sermonem ad Eliu, non ad Jobum pertinere, ab initio capitilis præcedentis usque ad hujus versum 3<sup>r</sup>. ubi scriptum est. Et adjecit Dominus, & locutus est ad Job.



## CAPUT XL.

*Deus arguens Job quod visus sit justitiae ipsius detraxisse, ostendit ei suam potentiam in Behemoth & Leviathan, silentium ei imponens.*

**R**1 ESPONDENS autem Dominus Job de turbine , dixit :  
2 Accinge sicut vir lumbos tuos : interrogabo te , & indica mihi.

3 Numquid irritum facies judicium meum: & condemnabis me , ut tu justificeris ?

4 Et si habes brachium sicut Deus , & si voce simili tonas ?

5 Circumda tibi decorem , & in sublime erigere , & esto gloriosus , & speciosis induere vestibus.

6 Disperge superbos in furore tuo , & respiciens omnem arrogantem humilia.

7 Respice cunctos superbos , & confunde eos , & contere impios in loco suo.

8 Absconde eos in pulvere simul , & facies eorum demerge in foveam.

9 Et ego confitebor quod salvare possit dextera tua.

10 Ecce Behemoth , quem feci tecum ,  
fœnum quasi bos comedet :

11 Fortitudo ejus in lumbis ejus , & virtus  
illius in umbilico ventris ejus .

12 Stringit caudam suam quasi cedrum ,  
nervi testiculorum ejus perplexi sunt .

13 Ossa ejus velut fistulæ æris , cartilago  
illius quasi laminæ ferreæ .

14 Ipse est principium viarum Dei , qui  
fecit eum , applicabit gladium ejus .

15 Huic montes herbas ferunt : omnes  
bestiæ agri ludent ibi .

16 Sub umbra dormit in secreto calami , &  
in locis humentibus .

17 Protegunt umbræ umbram ejus , cir-  
cumdabunt eum salices torrentis .

18 Ecce , absorbebit fluvium , & non  
mirabitur : & habet fiduciam quod influat  
Jordanis in os ejus .

19 In oculis ejus quasi hamo capiet eum ,  
& in sudibus perforabit nates ejus .

20 An extrahere poteris Leviathan ha-  
mo , & fune ligabis linguam ejus ?

21 Numquid pones circulum in naribus  
ejus , aut armilla perforabis maxillam ejus ?

22 Numquid multiplicabit ad te preces ,  
aut loquetur tibi mollia :

23 Numquid feriet tecum pactum , & ac-

cipies eum servum sempiternum?


24 Numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis?

25 Concident eum amici, divident illum negotiatores?

26 Numquid implebis sagenas pelle ejus, & gurgustum piscium capite illius?

27 Pone super eum manum tuam: memento belli, nec ultra addas loqui.

28 Ecce, spes ejus frustrabitur cum, & videntibus cunctis præcipitabitur.



### PARAPHRASIS.

**D**EVICTUM sese jam corde professus & ore  
Jobus erat, voluit tamen hæc Deus  
addere verba,  
Horrificè semper latebroso hòc tur-  
bine tectus,  
Nolo mea vinci te majestate, meumque  
Ut premat imperium te summū, & summa potestas.  
Imò, si quid habes, quō te tueare, repugna,  
Æquo namque volo tecum contendere jute.  
Quæ tua mens, dictis decreta revellere nostra  
Ut credas te posse tuis, & posse querelis,  
Justitiam damundo meam, videaris ut infons,  
Ut jactésque, meā me raptum immittiūs irā,  
Non ductum ratione, in te s̄avisse maligne?

Tam si magnificè de te sentisque licenter,  
 Forte in extende manum; quāta & mea, brachia tolle,  
 Voce tona simi li, similique ornare decore,  
 Atque hōc in folio tua sit mihi proxima sedes.  
 Sese extollentes nimium disperge superbos,  
 Impia corda doma, sublimia deprime sceptrā,  
 Contereque injusti gestat quæ dextra Tyranni,  
 Sceptro cumque suo vili ipsum pulvere muta.  
 Hæc si te videam fecisse, fatebor & ipsum  
 Auxilio te posse tuis tibi viribus esse,  
 Te nec egere meis : sed de te rebus in istis  
 Quid tibi credendum, satis experientia monstrat;  
 Quid de me, ostendunt, unus quæ grandia patro.  
 Ecce Elephantum. Ejus quid vires æquat? at illas  
 Sic moderor, bovis in morem pascatur ut herbā,  
 Sanguineam nec prædam avido petat horrifer ore,  
 Nec parvis struat insidias animalibus, ipsa  
 Versari secum patiens & vivere juxtā,  
 Dimoveatque eadem placide, occurrentia si qua  
 Viderit, atque pedum caveat ne mole premantur.  
 Ejus inest tantūm in lumbis & pectore robur,  
 Et cancellatis in nervis, ventris in imo,  
 Armato ferat ut multo cum milite turres,  
 Æneaque illius vel ferrea dixeris ossa.  
 Æquantem cedros proboscida tollit in auras,  
 Utitur hācque, manus imitante ad munia vestras.  
 Instinctu utuntur quæcumque animalia vincit;  
 Quin etiam ratione homines accedit ad ipsos,  
 Partem à Naturā partēmque eductus ab arte.  
 Flumineis ripis, salicūm lætatur & umbrā,  
 Posse etiam sitiens fluvios siccare videtur;

Vix satis esse ejus Jordanem dixeris ori.  
 Venantum tamen insidias haud effugit idem,  
 Incidit inque illas, adnans ut piscis ad hamum,  
 Pertusis patiens duci quoque naribus ultro.  
 Hoc tanto in terris monstro mirabere majus,  
 Si subeantur aquæ. Spatio corpore, montis  
 Seque animati instar præbet Balæna videndam.  
 Hancne trahes unco, valido vel fune ligabis,  
 Aut servire tibi cogenes, mandata vereri  
 Et tua suppliciter, poterisque illudere captæ,  
 Captivæ ut volucri pueti illuduntque puellæ,  
 Indulgent cui funiculum, retrahuntque protervæ  
 Ad libitum, libertatis spem dantque negantque?  
 Concides in frusta illam? sectamque licebit  
 Inter mercantes partiri? talia, fodes,  
 Et vis si qua tibi, si qua est fiducia, tenta  
 Interdum id fieri patior tamen ipse, patescat  
 Ut mea quam toto dominatur in orbe potestas.



## CAPUT XLI.

*Malitia Behemoth explicatur fusius juxta illius  
membra, duritiam & superbiam.*

1 **N**ON quasi crudelis suscitabo eum:  
quis enim resistere potest vultui  
meo?

2 **Q**uis ante dedit mihi, ut red-  
dam ei? omnia, quæ sub cœlo sunt, mea sunt.

3 Non parcam ei, & verbis potentibus  
& ad deprecandum compositis.

4 **Q**uis revelabit faciem indumenti ejus?  
& in medium oris ejus quis intrabit?

5 Portas vultus ejus quis aperiet? per  
gyrum dentium ejus formido.

6 Corpus illius quasi scuta fusilia com-  
pactum squamis se prementibus.

7 Una uni conjungitur, & ne spiraculum  
quidem incedit per eas.

8 Una alteri adhærebit, & tenentes se  
nequaquam separabuntur.

9 Sternutatio ejus splendor ignis, & oculi  
ejus, ut palpebræ diluculi:

10 De ore ejus lampades procedunt, si-  
cūt tædæ ignis accensæ.



ii De naribus ejus procedit fumus , sicut  
ollæ succensæ atque ferventis.

12 Halitus ejus prunas ardere facit , &  
flamma de ore ejus egreditur.

13 In collo ejus morabitur fortitudo , &  
faciem ejus præcedit egestas.

14 Membra carnium ejus cohærentia sibi:  
mittet contra eum fulmina , & ad locum  
alium non ferentur.

15 Cor ejus indurabitur tamquam lapis ,  
& stringetur quasi malleatoris incus.

16 Cum sublatus fuerit , timebunt angeli ,  
& territi purgabuntur.

17 Cum apprehenderit eum gladius sub-  
sistere non poterit neque hasta , neque tho-  
rax.

18 Reputabit enim quasi paleas ferrum ,  
& quasi lignum putridum æs.

19 Non fugabit eum vir sagittarius , in  
stipulam versi sunt ei lapides fundæ.

20 Quasi stipulam æstimabit malleum , &  
deridebit vibrantem hastam.

21 Sub ipso erunt radii solis , & sternet  
sibi aurum quasi lutum.

22 Fervescere faciet quasi ollam profun-  
dum mare , & ponet quasi cùm unguenta  
bulliunt.

23 Post eum lucebit scmita , æstimabit



abyssum quasi senescentem.

24 Non est super terram potestas , quæ comparetur ei , qui factus est ut nullum timeret.

25 Omnes sublime videt , ipse est rex super universos filios superbiæ.

## PARAPHRASIS.

 IT manuum cetus quamvis opus ille  
mearum ,  
Tam vires superans humanas , attamen  
illum

Humanum non in damnum exitiumque creavi  
Crudelis ; non utque ejus me robore tuter.  
Namque meos ulcisci hostes si quando lubebit ,  
Cujus ope indigeam ? quæ sit mihi dextra vocanda ?  
Vires nonne suas habet à me quælibet omnes ?  
Subjacet illa mei gladio fera tanta furoris ,  
Subjacet & quævis , si fortè immanior ulla.  
Ac certè vix ulla potest. Accedat ad illam  
Qui fidens animi magis est , & robore præstans ,  
Coram vel tantùm sistat , nedum incitus ori  
Admoveat dextram vallato dentibus apri ,  
Quodque patens Mortis portas expandit hiantes.  
Quot tegitur squamis , tot credas scuta rigere  
Ærea , non jaculis non ulla pervia telis ,  
Ipsi aut vento , adeo juncta compage cohærent.

Fulgurat ore , oculis , fumusquè naribus exit ,  
 Qualis ferventi vomitur glomeratus ab ollâ .  
 Ejus carbones accenderit halitus ardens ,  
 Ignea nec jactet majora incendia fornax .  
 Præcipuum in collo , quô vasta dat omnia , robur .  
 Tali membrorum pollet compagine , montes  
 Ut quassans vix hanc valeat perrumpere fulmen .  
 Marmora duritie cor vincit , malleus illud  
 Nec frangat ; pulsâ velut ex incude resultans .  
 Supra commotas quando caput extulit undas ,  
 Quis non extimeat ? gelidus fortissima quæque  
 Corda quatit tremor , & si quis stare eminus ausit ,  
 Tela ferens adversa , ictus cadet irritus omnis ,  
 Ac instar lignique putris , paleæque , minutum  
 Dissiliet validi robur compactile ferri .  
 Imo quando mari decumbit , proterit aurum ,  
 Infernæ Solem sedis , stratosque lapillos ,  
 Et dites , ipsis merces cum navibus haustas ,  
 Naufragia his etiam faciens quas evomit undis .  
 Nimirum , quando spirat , mare fervet , aheni  
 In morem , quod vi subjecti exuberat ignis .  
 Canentem verò ducit per cœrula sulcum  
 Dum natat , & lucet via longo spumea tractu .  
 Äquat demum illi se nulla potentia ; summis  
 Et caput attollens è fluctibus , omnia temuit ,  
 Despicit , undarum latè , horrendèque Tyrannus .

C

## CAPUT XLII.

*Agnoscit Job se insipienter locutum, & à Domino præfertur amicis, ac pro illis orat: duplicita recipiens eorum quæ amiserat, tandemque plenus dierum in pace quieteuit.*

**i** R ESPONDENS autem Job Dominō, dixit:

**2** Scio quia omnia potes,  
& nulla te latet cogitatio.

**3** Quis est iste, qui celat consilium absque scientia? ideo insipienter locutus sum, & quæ ultra modum excederent scientiam meam.

**4** Audi, & ego loquar, interrogabo te, & responde mihi.

**5** Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.

**6** Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.

**7** Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Thebanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locu-

ti coram me rectum , sicut servus meus Job.

8 Sumite ergo vobis septem tauros & septem arietes , & ite ad servum meum Job , & offerte holocaustum pro vobis : Job autem servus meus orabit pro vobis : faciem ejus suscipiam , ut non vobis imputetur stultitia : neque enim locuti estis ad me recta , sicut servus meus Job .

9 Abierunt ergo , Eliphaz Themanites , & Baldad Suhites , & Sophar Naamathites , & fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos , suscepit Dominus faciem Job .

10 Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job , cum oraret ille pro amicis suis . Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job , dupicia .

11 Venerunt autem ad eum omnes fratres sui , & universæ sorores suæ , & cuncti qui noverant eum prius , & comederunt cum eo panem in domo ejus : & moverunt super eum caput , & consolati sunt cum super omni malo quod intulerat Dominus super eum : & dederunt ei unusquisque ovem unam , & inaurem auream unam .

12 Dominus autem benedixit novissimis Job magis quam principio ejus . Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium , & sex

millia camelorum , & mille juga boum , & mille asinæ ,

13 Et fuerunt ei septem filii , & tres filiæ.

14 Et vocavit nomen unius Diem , & nomen secundæ Cassiam , & nomen tertiac Cornustibii.

15 Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Job in universa terra : deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum.

16 Vixit autem Job post hæc , centum quadraginta annis , & vidi filios suos , & filios filiorum suorum usque ad quartam generationem : & mortuus est senex & plenus dierum.

### PARAPHRASIS.

**Q**UI modò fassus erat velle obmutescere sese ;  
Nimisrum ignarus quia tunc , nunc maxima Jobus  
Edactus , causam credit desisse silendi ,  
Et venerabundus voces erumpit in istas .  
Novi , cunctarum Dominator maxime rerum ;  
Nos & nostra tibi supremo subdita jure ,  
A nutu pendere tuo , tēque omnia posse ,

Téque latere nihil. Quare Insipienter & ipsum  
 Me fateor, temerè, supra captumque locutum  
 Esse meum, nec me culpâ caruisse querentem,  
 Quantacumque situs gemerem sub mole malotum.  
 Quidquid dicturus modò sum vacat omne querelâ,  
 Summissè tantum quāram studiendus, at ipse  
 Respondere mihi ne dedignere benignus.  
 Audieram de te sapientes maxima quondam  
 Dissertuisse mihi, memori quoque mente tenebam;  
 Nunc oculis audita datur subjecta tueri,  
 His etiam longè majora. Apparet amoris  
 Esse tui munus quidquid sum passus acerbi.  
 Consilia in mellus refero, mēque esse paratū  
 Profiteor lacrymis delere errata, precari  
 Suppliciter veniam, cinere aspersumque favillâ.  
 Hoc Jobi sermone Deus placatus abundè,  
 Ut se purgaret non ultra est tendere passus.  
 Quare Eliphazum istis, renovato turbine, verbis  
 Increpat. Iratum tibi me, sociisque duobus  
 Esse scias. Novi in Jobum quām mente malignâ  
 Insurrexit; nec me delusit honoris  
 Hæc nostri à vobis cura assimulata tuendi,  
 Et quam certas speciem prætexere vanam,  
 Dum fuit in Jobum mera vestra calumnia tantum.  
 Hoc verò à vobis ut crimen rite pietur,  
 Cum septem arrietibus, septem quoque pergite tauris  
 Ad Jobum, orantes vestra ut mihi munera dextrâ  
 Offerat ipse suâ, haud aliter mihi grata futura;  
 Nam mecum, ut Jobus, non estis recta locuti,  
 Laudibus & vestris potior mihi visa querela


Illius, nam quæ fuerit mens intima novi;  
 At vos illum animo dire exagitastis iniquo.  
 Tres illi (si digni illo mercantur amici  
 Nomine) non dubitant mandata capessere, Jobum  
 Mox adeunt, & pacis habent veniaeque sequestrum.  
 Tum quoquè quas Jobo dederat Deus antè, refusas  
 Conduplicavit opes, atque ingeminavit honores.  
 Corporis abstesit tabem, primamque salutem  
 Reddidit, hanc etiam geminari, ut cætera, jussit.  
 Diditur extemplo vicina per oppida rumor,  
 Ipsa etiam latè penetrans contermina regna.  
 Qui vel amicitiâ fuerant vel sanguine nexi  
 Conveniunt, & notorum promiscua turba.  
 Gratantur, veluti reduci, rursusque beato.  
 Regali in te<sup>c</sup>to genialiter excipit omnes,  
 Regia namque domus non instaurata nitoris  
 Est tantum veteri, verum & nova gloria juncta.  
 Ipsi offertur ovis convivâ à quolibet, unâ  
 Annulus ex auro, monumentum & pignus amoris.  
 Fœcundata uxor cœpit sobolescere rursus.  
 At cùm cuncta essent supero duplicata favore,  
 Natorum soli est numero non additus alter,  
 Amissi poterant non credi namque priores,  
 Cœlorum at lætâ feliciter arce recepti.  
 Ergo mares geniti sunt septem, trésque puellæ,  
 Præstantes virtute omnes, formaque decore,  
 Ut se nulla parem ferre orbe auderet Eoo.  
 Prima vocata Dies, estque altera Cassia dicta,  
 Et Cornufibii fortita est tertia nomen,  
 Corporis atque animi signantes nomine dotes.

Ne verò optandum Jobo quid posset abesse,  
 Annos implevit centum , deciesque quaternos ,  
 Felix usque , aurā semper spirante secundā.  
 Natos natrum longo post ordine vidit ,  
 Horum interque manus animam exhalavit opimam ,  
 Splendidus , & celebri post fata superstite famā.

*Laus Deo , & Virgini Deiparae.*

Ecclia mundi homines non nullius noster  
 Hoc trahere potest , & non eorum est nisi duplex , nay  
 Quod officiorum ovis convivē & duplex , nay  
 Veneris ex uno , monachorum subpeditus sumus  
 Lectorum auctor , scilicet leopoldi etiam tamen .  
 At cum cunctis efficiunt hyscō q̄d hyscō faciat , nay  
 Notandum est , q̄d hyscō pōnere possit , nay  
 Amicū pōtētē non credi mundus hyscō .  
 Cognoscere ut sicut hyscō nō possit , nay  
 Ego mōres hyscō fuit hyscō , hyscō pōtētē  
 Sicut mōres hyscō , hyscō pōtētē ,  
 Unde pōtētē pōtētē op̄e subpeditat .  
 P̄m̄s mōderis Dīs , tūlīde s̄cīs Q̄d hyscō  
 Et cunctis pōtētē s̄cīs , s̄cīs , s̄cīs ,  
 Cōfōrū mōderis pōtētē ḡtūtē , hyscō pōtētē









voir p'  
l'abbé Maury  
 $D - D \times B = ?$   
l'acc. des  
Lartermontes